

gorii de Valentia, Ferdinandi de Bastida, Petri Arrubal, Christophori Cobos, aliorumque Sociorum, qui Molinianam causam orarunt, quaterniones, libelli supplices, & recitate ad cœtum Theologicæ tractationes. Hi tibi atticæ fidei testes, de quibus simplicius, ac meliori fide, dixerat concellita tuus, Gabriel Henao, Protest. 1. ad Scientiam-Mediam, Theologicæ defenfatam, Num. 62. *Acta conscripta in favorem nostrum nulla extant, sed solum orationes, seu declamationes recitate a Valentia, Arrubale, Bastida, super punctis, prescriptis a Clemente VIII. & Paulo V. Jam quæ audacia illa est, nolle Gregorii Coronelli, Congregationum Notarii, ab Apostolica Sede dati, Jacobi Boffurii, inter Consultores admissi, Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decani, A. A. Codices, Narrationes, Epistolas, ad eorum gestarum fidem admittere, quod in Societate male animati fingantur esse; ipsorum vero Sociorum quaterniones, tanquam sibyllæ folia, aut Apollinis Pythii Oracula venditare? Quamquam si fidem integram facerent, nemo iis, nisi mancam, ac mutilam historiam superstrueret; cum Theologicas unius duntaxat partis defensionis ut us maxime complectantur.*

Pergis, exultam tabularii tui supellecilem explicans: *Sunt Principum, Regum, Imperatorum, missæ ad Romanos Pontifices ista etate Epistole; quibus, quid in suis divisionibus doctissimi quique homines de hac controversia senserint, indubitata Majestatis fide restantur.* Immo sunt Principum, etiam foeminarum, nihil in istiusmodi Controversiis intelligentium, Epistolæ commendatitiæ, a Molinianis extortæ: quarum alias a Clemente VIII. nauci habitas, atque rejeftas; alias viriatas, atque interpolatas, ostendimus Tomo 1. Gallicæ Defensionis, (1) ac tum hic in Historia, lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 27. Quæ porro, in ferendo de lite iudicio, commendatitiis etiam Principum litteris danda fides? Cum eas il soli precibus ambiant, qui in perditis, ac desperatis negotiis habent.

Sunt præcipuarum Europæ Academiarum, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Germaniæ, Lotharingiæ iudicia, atque censuræ, pro alterutra litigantium parte data, Romanique varisuisse! Scilicet superba ostentatione Hispanicarum Academiarum iudicia jactas, quarum longe plures, ac nobiliores secundum Scholam Thomisticam decrevere; nonnullæ temere vocantur in censum; quædam, falsatis censuris, atque sententiis, proferuntur. (2) Patiensis Academiæ nomen ostentas, cujus iudicium nullum extat, aut fuit unquam: Bononiensis, cujus re vera non est, quæ obruditur, Consultatio: Dilinganzæ, Græcensis, Moguntinæ, Trevirensis, Herbipolensis, Ingolstadtensis, Viennensis, Mustipontanzæ; quæ nil nisi Societatis Collegia sunt, Academiæ titulis aucta; quarum idcirco Censuris Jesuitæ ipsi, dissimulata professione, subscribunt, domesticæ causæ iudicium affectantes.

Sunt Nunciorum Apostolicorum Edicta hujus Controversiæ occasione promulgata. Quorum videlicet alia nulli dissidentium parti favent; alia in contrarium, ac repugnantem omnino sensum a te, cuique accipiuntur; nonnulla corrupta, ac mutilata recitantur; quædam etiam in irritum Romanæ Curie iudicio missa sunt.

Sunt Cardinalium, & Episcoporum Litteræ, de eadem Controversia ad Pontificem scriptæ. Quales nimirum paulo ante Principum Litteras diximus; quæ Clementem in Societatem, corradendis undecumque commendationibus intentam, summo-

pere commoverant. Quo in genere quid tui valeant, quibusve artibus adiutur, plus facis in nuptera de cultu Sinenfium mota lite, universus Orbis expertus est.

Sunt Regionum Consiliorum, ac Magistratum Romanorum, quibus, quid a partibus actum sit, publica Notariorum fide declarantur. Hoc est, Castellæ, & Aragoniæ Edicta, quæ publicandæ Moliniæ Concordiæ, ut primum lucem aspexit, veniam fecerant. Quod tu verbo ambiguo dicere maluisti, ut qui Historiam tuam ex integro lecturi non erant, ex hac una delibata Præfatione suspicarentur, velle te, quæcumque in hac prægravi concertatione a partibus acta sunt, ex Regionum Consiliorum, ac Magistratum relictionis, publica fide recognitis, enarrare.

Sunt, inquis tandem, Doctissimorum Virorum lucubrationes, de hac Auxiliorum concertatione olim scriptæ, quæ nunc primum lucem aspiciunt. Nempe, ut antea præmoneram, Leonardi Lessii, Gregorii de Valentia, Ferdinandi de Bastida, Petri Arrubalis, Christophori Cobos, aliorumque Sociorum quaterniones, quos tuncis, ac blattis alendis multo melius reliquisses.

Ita tu quietas tuas ad speciem, & pompam ostentas, ut Historiam absolutissimam scribere videaris: ad quas tamen si quis tantisper intenderit animum, facile deprehendet, te iis duntaxat præfidiis munitum, (cæsi calumniandi, fallendique deesse animus) nonnisi viciolam, sive potissimum parte diminutam, Historiam edituram. Nihil quippe tuæ illæ congestæ chartæ de partis alterius instrumentis habent; nihil de datis ad Moliniæ Scripta responsis; nihil de momentis, ultro citroque inter disputandum ex tempore additis; nihil de Pontificis disputatoribus interloquentis gravissimis sententiis; nihil de Consultorum suffragiis, atque Censuris; nihil de illorum Congressibus ad ferenda iudicia celebratis; quæ omnia potissimum agitata Controversiæ partem consistant. Eaque idcirco ratione factum, (quod tuis aliunde commodis servit), ut aridis Scholæ tuæ Magistrorum declamationibus paginas impleas; dataque interim responsa aut fileas omnino; aut, quod a me in Historia insinuata fuerint, brevi verbo perstringas: prolixis Molinianorum Oratorum Tractationibus lectores defatigas, lataque de iisdem iudicia aut præmittas ex integro, aut, si prætermitti nequeant, contemnas, rideas, nauci facias.

Et tamen quam grande tuis illis, quæis Historiam superstruis Instrumentis, pretium facis! Quam integram illis fidem adjungi vis, ac etiam iubes? Quam serio lectores admones, ut si quis de iis antiquitatis monumentis dubitandum putet, is meminere, nullius habentis Romani Auctoritate Pontificis declaratum esse, nullam ex omnia fidem mereri! Machæ igitur animo, Eleutheri, & Rabellai etiam fabulas, aut jocularis Quiciorii eventus Historiæ tuæ necesse: ac si quis de iis dubitandum putet, id quoque admone, ut meminere, nullo Romani Pontificis Edicto cautum esse, ne quis illis fidem adjungat. Quamquam & hoc ipso graviter erras, quod necias, tuas illas, quibus paginas impleas, Molinianorum Actorum Orationes, Coronelli Actorum partem consistare; quibus nullam, ut toties objicis, omnino fidem haberi, solemnè Decreto vetuit Innocentius X.

SECTION

(1) *Response aux questions import. 1. quest. chap. 16. (2) De his plenius infra Sect. 3. c. 3.*

SECTION SECUNDA.

Dispungitur Eleutherianæ Historiæ Liber Primus, quo Controversiarum istarum originem, turbamque Belgicarum iustitiam detegere, & enarrare, Auctor aggreditur.

CAPUT PRIMUM.

Falsa Controversiarum de Divinis Auxiliis origo ab Eleutherio posita: futilia ejusdem contra veram a nobis assignatam originem Argumenta.

Quod viris, ludum præbentibus, familiare est, ut primo fabulæ actu, specioso choragio spectatorum oculos paciant, id tu in danda Auxiliorum Historia sciendum existimasti; dum primam Controversiarum istarum originem ab iis turbidinis petisti, quos nonnulli Prædicatorum Ordinis Professores in nascentem, ut loqueris, Societatem excitarunt. Grande scilicet spectaculum visum est, quo primo statim ingressu lectorum animi moveretur.

Falsa, an vera narres, non juvat diligentius inquirere. Satis mihi sit paucis observationibus demonstrare, hæc a te livore malo reficari; perperamque, & inficere, uti certam Controversiarum istarum originem, poni. 1. Quia, in eandem nascentem Societatem excitato turbine, non de Scholæ quætionibus, multoque minus de Divinis Auxiliis, aliique finitimis Controversiis agebatur; sed de religiose vitæ Instituto, de forma vovendi, de arrogato sibi nomine, de disciplina, de regulis, aliisque rebus, ad mores attentibus, tota lis erat. 2. Quia ea paucorum e nostris quærelæ fuerunt, a Præpositis Generalibus, ut ipsemet probas, repressæ, & improbatæ: cum contra, de Divinis Auxiliis mota lis, a Præpositis, in causam subintrantibus, publico totius Ordinis nomine, fuerit agitata. 3. Quia probroscæ illæ, quas recitas, in nascentem Societatem criminationes, turbæ, quærelæ, non a nostris duntaxat prodire; sed a florentissimis etiam Academicis, supremis Curis, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque primæ notæ viris, quos minus propitia de nascente Instituto, iudicia tulisse, turbasque in vestros gravissimas exciassæ, Orlandinus, Societatis Historicus, narrat, lib. 2. num. 49. lib. 11. num. 57. lib. 12. num. 54. & 60. lib. 15. a numero 33. ad 45. Quid ergo ea nostros, si quæ fuit, invidia peculiariter oneras? Aut quid inde Controversiarum de Auxiliis originem deducis?

Non alia ergo quærenda Controversiarum origo, quam quæ a nobis dicta est, interpolata primam a generali Congregatione, tum aperte concussa tenendæ D. Thomæ doctrinæ lex, susceptumque accommodatoris Theologiæ in Scholæ invendæ consilium. Hinc etenim, perfracto repagulo, orta opinandi licentia, novaque humane libertatis, & gratiæ concilio, amula contentione a vestris excogitata.

Occurris, nec sine stomacho reponis, Declarationem marginalem ad Caput 12. Partis 4. Constitutionum vestrarum, (unde Ignatianam legem primigeniam, speciosæ interpretationis obtentu, a tuis concussam, ostendi (1)) Ignatii ipsius esse, non Congregationis generalis, cui hæc per errorem affixi, ut cavillandi, & insultandi occasionem arripere. Quod ut lectoribus planum facias, Congregationis ipsius verba representas, Serry Tom. II.

quæ liquet, autographum declarationum, quibus suas ipse Constitutiones Fundator exposuerat, in Patrum confesso post ejusdem obitum celebrato, prælectum esse, probatumque exemplum, ex illo descriptum, quo demum typis edi posset. In hoc porro, inquis, (2) Ignatii Autographo, hæc ipsa, quæ audacius arrosi, verba leguntur: *Sed si videretur temporis decursu, alius Auctor studentibus utilior futurus, ut si aliqua summas, vel liber Theologiæ scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accommodator videretur, gravi cum consilio, & rebus diligenter expensis per viros, qui in ipsa Societate aptissimi existimantur, cum Præpositi Generalis approbatione prælegi poterit.* Hispanice vero, eadem littera B. sic legitur: *Perd si por tiempo pareciere, que de otro Autor se ayudarian mas los, que estudian, come seria haziendose alguna summa o libro de Theologia escolastica, que parezca mas acomodada a estos tiempos nuestros, con mucho consejo, y muy miradas las cosas per las personas tenidas por mas aptas en toda la Compania, y con aprobacion del Præposito General della, se podrá leer.* Ita, si te audimus, memoratum sanctissimi Fundatoris Autographum. Ac ne quis de citati a te transumpti fide dubium moveat, atticæ fidei testem producis, editumque Instrumentum representas: Superiora verba Hispanica tum Constitutionis, tum declarationis habentur omnia in M. SS. Originali, quod hic in cubiculo Patris Secretarii servatur, quod ipse legi, & cum prædictis consuli. Romæ die 22. Aprilis 1700. subscriptum erat, JACOBUS DE LA FONTAINE.

Quis non ad hæc obtumescat? Quis contra mufret? Atqui ego fidentius multo, quam antea, contendo, hanc ipsam Declarationem, in controversiam adductam, Congregationis verius esse, quam Ignatii; reque, testemque abs te productum, pessimæ fidei postulo: Non quod Declarationum Autographum, quibus suas ipse Constitutiones Vir sanctus exposuit, in Congregatione demum generali, ut prælo subijci posset, perlectum, probatumque, negem; sed quod illa ipsa, de qua hic agitur, Ignatii Declaratio, antequam typis edita Declaratio, Congregationis emendata, seu verius corrupta fuerit; iis Sancti Viri verbis expunctis, quæ rei summam consciebant, omnemque de rejicienda D. Thomæ doctrina suspicionem amovebant. Quo fit, ut, qualis nunc legitur typis edita Declaratio, Congregationis censenda sit, non Ignatii. Non aliunde assertionis hujusce meæ præsidium, ac fundamentum accessio, quam ex ipsamet Congregatione generali, quæ uti lectum, probatumque sancti Patris Autographum narrat, ita etiam emendatum, correctumque significat, Tit. 3. cap. 53. ubi ita legere est: *De verbis autem quibusdam Constitutionum propositum fuit. Cum Pater sanctæ memoriæ Ignatii commisisset tribus Patribus, quorum duo Congregationi intererant, ut, salvo sensu, verba, prout eis videretur, immutarent; an rata ea essent habenda, quæ, eo vivente, mutata fuerant in Originali Exemplari; quia non constabat, an ab eodem Patre Ignatio recognita fuissent: Visum est, deputandos esse tres, qui viderent, & expenderent, & referrent ad Congregationem, quid de hujusmodi verborum immutatione sentirent: & hi fuerant Doctores Baptista de Parma, & Doctor Christophorus Madridus, cum Magistro Joanne Palanco, qui commissio sibi munere functi sunt. Actum est etiam de aliis verbis, quæ immutanda quibusdam videbantur, quia in quibusdam eorum videbatur error calami irrepisse: & sigillatim proposita fuerunt; & sunt, quæ sequuntur &c. Tum notatis ad varias Autographi declarationes Theologorum deputatorum*

(1) Lib. 1. C. 1. (2) In Declarat. margin. L. B.

mendationibus, a Congregatione receptis, & approbatis, ad eam tandem, de qua mihi in præsentia lis est, gressum faciunt, num. 64. in hunc modum: *Super 14. caput, §. Prælegetur, habeat textus:* (Prælegetur etiam Magister Sententiarum. Sed si videretur temporis decursu, aliam Theologiam, huius non contrariam, studentibus utiliore fore; ut si aliqua conficeretur, quæ his nostris temporibus accommodatior, videretur:) *Huius loco reponendum videbatur:* (Prælegetur etiam Magister Sententiarum. Sed si videretur temporis decursu, alium Auctorem studentibus utiliore fore; ut si aliqua summa, vel liber Theologiæ Scholasticæ conficeretur, qui iis nostris temporibus accommodatior videretur:) *PLACUIT EMENDATIO.* " Ita sillabam Congregationis Acta, cujus subinde iussu edita typis, una cum Constitutionibus, declarationibus, postremam illam lectionem retinere. Jam quo, quæso, ea recidit Autographi Ignatiani emendatio Congregationi accepta, atque probata, nisi ut ea verba, huius non contrariam, e primigenio beati Patris textu expungerentur; quibus ne alia Theologia (si quæ forte fecutus temporibus ad Societatis usum ederetur) Divo Thomæ contraria foret, distincte veterat sanctissimus Pater?

Abi nunc, Eleutheri, & me, quod eam Declarationem, qualis hodie mutilata conspicitur, Congregationi, non Ignatio tribuerim, mille conviciis onera. Quid probris, ac maledictis reponere possim; fat vides, si sensum habes. Equæ vero, contra tam disertam Actorum testificationem producta a te testi præstanda fides? Aut enim mentium illum oportet, qui nihil de verbis illis, huius non contrariam, in Originali Exemplari contentis, insinuat dato transumpto; aut certe mentitos Congregationis Deputatos, qui de iis, primigenio textu contentis, ipsorumque iudicio rescandis, ad Patrum cæterum tam ingenue reculerunt. Nisi forte fraudem ipsemet feceris, & quod tuus ille productus testis, de Manucripto originali emendationis, in Congregatione generali factæ, testatum voluit, tu de ipso Ignatii Autographo testatum, effutieris, ut illuderes.

Eo disiecto munimento, nullam, quæ subjicis, argumenta difficultatem habent: Ut quod beati Ignatii Declarationes una cum Constitutionibus, Romani Pontifices Paulus III. Julius item III. Paulus IV. Gregorius XIII. Paulus V. Apostolicis Diplomatis approbarint, & confirmarint; quod habeant religiosa qualibet Instituta legum suarum explicandarum integram facultatem: quod iniquum plane foret, ad unius Doctoris Angelici lectionem Societatis Professores adstringere; cum ne iis quidem angustiis suos ardent Dominicani. Facti enim quæstio hic agitur, Eleutheri; nec quid jure potuerit Congregatio; sed quid re ipsa gesserit, disceptatur. Abs te tamen obiter scire voluerim, qui fieri potuerit, ut Paulus, & Julius, uterque sui nominis tertius, Ignatii Declarationes, ut ais, a generali Congregatione anno 1553. emendatas, una cum Constitutionibus approbarint; cum Paulus anno 1549. Julius 1555. extremum diem obierit? At, ut video, generales, & vagas Instituti, ejusdemque regularum, ac legum approbationes peculiat, quod hic queritur, facto accommodati: quasi ad eas minutias attenderint Romani Pontifices, aut de conferendis autographis, & exemplis, deque examinandis, quæ facta sunt, mutationibus cogitarint. Inesse religiosi Instituti explicandarum legum suarum integram facultatem, nemo negat: verum, num dandæ explanationis obtentu, eandem enervare liceat, aut saltem expediat, erit fortasse qui dubitet.

Non absimiliter, unicum omnino legendum Doctorum Anglicum, nemo dixit; at unicum ut Theologiæ Scholasticæ Ducem, sic ut Auctor huius contrarius, nullis temporibus accommodator censetur, dicant, quotquot illum, ut Magistrum, venerantur.

CAPUT II.

Eleutheri cavillationes adversus narrationem nostram de Theologiæ Societatis, ad Tridentinam Synodum missis, repelluntur.

Nuspium plura congeris, ut dictis, atque narratis a me, fidem adimas: nuspium tamen futilliora, ac leviora. Et primo quidem corruptam a me Orlandini vestri contextum, offensurum, meum ipse pro tua sinceritate corrumpis. Id enim a me scriptum repræsentas, ac Italico etiam charactere distinguis, ut non sensum duntaxat, sed & ipsamet verba transcribi, omnes intelligant: *fatentem habemus Orlandinum in sue Societatis Historia. Is scilicet de nonnullis sermonem instituit, qui Calvinianus circa justificationem errores in sexta Concilii Tridentini Sessione liberius oppugnati, in extremas veterum hereticorum partes accedere videbantur; observat, Ignatium missis illis Societatis sue Theologos litteris convenisse; quibus eos, ut a novis proponendis opinionibus desisterent, ferventissimis monitis urgebat. Testes hic appello lectorum oculos, an hæc integra periculis mea sit, annon potius in hæc ejusdem verba desierim, litteris convenisse? Quibus Orlandini textum attexui: Laynio, Salmeronio, Jaso serio commonescitis, ne novam ullam opinionem, firmis licet rationibus nixam, proferrent in medium, quæ vel ad hereticorum commenta desisterent, vel ad eorum, qui nova sectantur, opinionem accederent: ut quæ ab Ecclesia pars non desineret aliena, a probabiliis etiam rebis & assensum haberent, & linguam. Quorum porro hæc mihi affligis postrema superioris periodi verba, quibus eos ut a novis proponendis opinionibus desisterent, monuisse Ignatius fingitur? Nempe, ut me contradidionis, ac repugnantie statim arguas; quasi ea periodo fatentem Orlandinum induxerim, Societatis Theologos novas proposuisse opiniones, quos, ut ab iis proponendis desisterent, ferventissimis monitis uriserat beatissimus Pater: cum tamen hoc ipsum ab Orlandino dissimulatum, subinde notem; eamque tentate novitatis labem in obscuro duntaxat Episcopos ab eo rejectam, observem. Expunge ergo, quæ mihi affligis, postrema periodi verba: & evanesceat calumnia tua. Namque unum fatentem Orlandinum dixi, alterum dissimulantem postmodum observavi: fatentem, inquam, datas ad suos Epistolæ, ne ullas in medium proferrent opiniones, quæ vel ad hereticorum errores accederent, vel ad eorum, qui nova sectantur, commenta desisterent: dissimulantem vero, ac Socios suos monitione eguisse, quod obliquas illas oppugnandi Calvinismi vias inirent.*

Inkas, Orlandinum nec mentionem illic fecisse eorum, qui Calvinianus, circa justificationem errores in sexta Concilii Tridentini Sessione liberius oppugnaverint; nec de veteribus hereticis, ad quos imprudens illi oppugnatores desisterent, meminisse: sed id a me pro arbitrariis confectum, ut Jesuitas, a Concilii Tridentini temporibus, ad Pelagianorum (veterum utique hereticorum) partes accessisse; & obliquas jam tunc iniisse oppugnandi Calvinismi vias, lectoribus persuaderem. Somniales, an vigiles, qui hæc obijcis, dubium mihi. Utrumque enim aut aperte significat, Orlandinum, aut ex iis, quæ obiter innuit, aliis sus-

fra-

fragantibus documentis, aperte colligitur. Datam enim vero ab Ignatio ad suos Epistolam notat num. 24. quo tempore *veniebat in disputationem de Divina hominis justificatione, factis apud Theologos implicata, & agitata quæstio:* quam certe, & in sexta Sessione, & contra Calvinistas, & Lutheranos motam, editi Canones, & constituta Doctrinæ capita satis clamant. En primum. Præfules autem, ac Theologos nonnullos, in præviis ad Sessionem hæc collationibus sententiam ferentes, in extremos Pelagianorum errores, nimio oppugnandi Lutheri, atque Calvinii ardore dilapsos, ex Cardinali Pallavicino compertum est. In quibus profecto fuit Antonius de Cruce, Episcopus Canariensis, *cujus sententiam Pelagianismi notatam observat Purpuratus Historicus.* (1) quod Deum bonis operibus, nature penus profectis, moveri quandoque diceret, ad justificationis gratiam largiendam. Immo usque adeo imprudens ille, Lutheranos, & Calvinianos, adversis ubique pedum vestigiis insequendi zelus nonnullis inceserat, ut Theologos, & Episcopos, prævis de justificatione collationes habituros, monendis duxerit Cardinalis Polus, Præsidium alter, (2) ut hereticorum libros præjudicatorum vacui legerent; nec illud inter doctrinæ præcepta ponerent, *Id Laboris scriptis: igitur falsum est;* quo nullum veritati detegende impediendum majus: Alberti Pighii exemplum ob oculos ponens, qui cum universa Lutherana de originis vitio doctrinæ capita refellenda sibi fumeret; in Pelagianismi confinia deliit. En alterum, a me utique minime confictum, ut afferis, sed invicte probatum.

Parum erat, id mihi dedisse crimini, quod Orlandini textum de industria corrupissem: eandem a me in laudando Pallavicino fraudem admittam, calumniar; dum ab illo observatum dixi, Laynium Concilii Tridentini Canonem (quo liberum Arbitrium, motum, & excitatum a Deo, posse dissentire, si velit, sancitum fuit) ita emolliendum judicasse, ut hominem communi duntaxat vocationi posse dissentire, faceretur. Quid illic peccatum a me? Annon id distincte notat Cardinalis Historicus loco ad marginem adnotato? *Filholus, inquit, Archiepiscopus Aquis in sua scripta sententia, & Didacus Laynos in suis notis postulabant, ut id ad communem vocationem coerceretur; cum alia supra ordinariam imperitari possit, cui homo non possit resistere.* Reponis perbellè, id non de Canone, prout nunc extat, (*liberum arbitrium, motum, & excitatum a Deo, potest dissentire si velit*) a Pallavicino notari; sed de Canone, prout sic prius conceptus fuerat: *homo motus & excitatus a Deo, potest dissentire, si velit:* idemque cum Laynio sensitse Archiepiscopum Aquisensem, & Procuratorem generalem Augustiniensem. Sit ira, quid ergo? Nec enim ego eam a Laynio difficultatem injectam dixi, cum jam Canon ultimo limatus esset, omniumque calculis exceptus, atque probatus; sed ea simpliciter verba posui, ut Laynii difficultatem, illius Canonis occasione injectam, inuenerem, qui iis modo verbis expressus est: Nec singularem Laynii sententiam dixi, tametsi ab aliis, idem cum illo sententibus, referendis, quod nulla de iis quæstio foret, abstinuerim. Perperam autem observas, horum iudicio tantum tributum a Patribus, ut pro voce hominem, quæ prius illo in Canone posita fuerat, substituerint liberum hominis arbitrium; non enim de subroganda vocula illa, sed de dissentienti potestate, ad communem duntaxat vocationem coercenda, quæstio movebatur: quod absit ut ea voculæ mutatione factum esset.

Serry Tom. II.

(1) Lib. 8. Cap. 4. Num. 17. (2) Cap. 2. N. 2.

Ne quid vero sine cavillo præterea, petitam a me ex Actis manuscriptis Concilii Tridentini, probationem alteram arrodis; quæ præfati Canonis verba, *Liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo,* Jaso & Salmeronio minus arripisse demonstraveram; quorum quidem loco (*quasi mens sola, non item voluntas humana moveretur a Deo*) mentem a Deo motam, reponendum judicarent. Quot Deus bone cavillationes, ac strophæ! Modo Lemosium facti testem a me productum, male habes: modo vage tantum, ac sine loci designatione laudatum illum, conquereris: nunc Innocentii X. Decretum, quo fidem Lemosianis Actis ademit, recantas: nunc nihil hujusmodi a Pallavicino notatum, respondes: ac tandem, quasi facti veritate victus, nihil referre, contendis, five hæc a Laynio dicta fuerint, five non; cum mens pro utraque animi facultate, intellectu, & voluntate, a probatissimis Auctoribus usurpetur. Falleris, Eleutheri, seu verius, lectores fallere niteris. Non Lemosius vocatus in testem est, sed sacre Synodi codices, loco distincte ad marginem appellato, in facti fidem adducti. Erri melius fortasse, juxta juris præscripta, facti hujusce testem Lemosium protulisses, quam a te Lessius tuus, in narranda Belgicarum, quibus inultus est, Censuram historia proferatur. Codices illos, indigente Paulo V., desolaverat eruditus gratiæ Defensor, & quid in illis ad causæ, quam curabat, defensionem observasset, dato libello supplicii palam fecerat, unde ego citatum fragmentum ad verbum expressi. Ne tamen abditum fontem, quem difficulter adire liceat, indignitari a me, moleste feras, do publicum, & in omnium oculis positum, & ab Innocentii Decreto tutum; Panopliam scilicet Divinæ Gratiæ, tom. 1. tract. 6. cap. 1. ubi, quod fufus libello dixerat, compendioso reddidit: *Ex Actis S. Concilii Tridentini, que asservantur Romæ in Castello S. Angeli, que & nos vidimus, & legimus, constat, quod P. Laynos ex eadem Societate, in eodem Concilio Tridentino, cum ageretur de formando Canone 4. Sessionis 6. suaderet præterit, nullatenus esse dicendum: Liberum hominis arbitrium; a Deo motum, & excitatum, sed mentem a Deo motam, & excitatam. Hæc fuit Patris Laynos eloquio non admissa. Id a Pallavicino silentio mitti, quid mirum? cum nec universa Acta describeret, nec ideo profecto ferreus esset, ut si quid minus honoris, & gloriæ suis cederet, non illud facile præteriret.*

Porro, ubi semel facti veritate res ipsa nititur, facile demum est, quod ad Laynii vindictas obtundis. Esto enim mens pro voluntate sumatur interdum, nec semper id nominis ad exactam Theologiæ linam exigatur, secundum quam mentem a voluntate fecerimus, dicimurque illustrationem mentis, & excitationem voluntatis; a Laynio tamen pro voluntate minime sumi, certo liquet; alias frustra mentem ab arbitrio distinctisset, hancque pro illo substitui, postulasset. Sed, inquis, (Audite viri Theologi, & in quas inexplicabiles ambages, ut Laynium vindicet, dilabatur, attendite) *Aliud est voluntas, aliud liberum arbitrium, ut vel ex primis, subitque motibus apparet. Hinc sic potius Laynium ratiocinari: Deus gratia preveniente mentem hominis movet, illustrando intellectum, & inflammando voluntatem: ergo mens mota, & excitata proprie dici potest; cui Divinæ motioni, & excitationi liberum deinde arbitrium & consentire potest, & dissentire, prout voluerit. Quam argute excogitatum! Cur ergo Laynii observationem, retenta arbitrii voce, rejecit Synodus Tridentina? Cur is Semipelagianismi ab-*

C 2

ad-

adstante Præsule postulatus, quod intellectum, seu mentem, non autem voluntatem a Deo motam esse, contenderet? Aliud itaque sit, ut observas, nuda voluntas, aliud liberum arbitrium; idem tamen omnino est voluntas libera, & liberum arbitrium, juxta pronuntiatum illud Angelicum: *Liberum arbitrium est idem realiter, quod voluntas, secundum quod in ea est virtus intellectus. Unde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, & rationis.* 1. part. quæst. 83. art. 3. & 4. 1. 2. quæst. 1. art. 1. 2. 2. quæst. 24. art. 2. ad 3. Sit aliquando sine libero arbitrio voluntas, ut mones; nunquam tamen sine voluntate liberum arbitrium esse potest. Quid igitur opus erat, sublati arbitrii voce, mentem substituere, etsi mentis nomine voluntatem simul, & intellectum accipias; cum utramque facultatem multo distinctius, ac certius explicet liberi arbitrii sola vox? Quapropter illa ipsa, quam, ex fraternæ charitatis officio, Layno commodas, ratiocinatio, errorem statim animo ingerit; aliud nimirum esse intellectum, & voluntatem, qui moventur, & excitantur, aliud liberum arbitrium, quod & consentire, & dissentire pro nutu potest.

CAPUT III.

De Claudio Aquaviva, Studiorum rationem Sociis præsentante, deque nova Concordia, ab ipsa excogitata.

Nec tibi benignior Mercurius aridet, dum in ea censuram tuam exeres, quæ de Claudio Aquaviva, studiorum rationem suis præsentante, commemoravi. Tria maxime criminariis. Primum est, quod, delatas de affectata doctrinæ novitate querimonias Sixto V. locum dedisse, observarim, ut Societatis Præpositis juberet, eam doctrinæ, studiorumque regulam præfigere, quam Societatis Constitutiones exigebant, (1) ne aut domesticis periculis, aut externis pateret calumniis. Quocirca datum Sixti V. præceptum agnoscis; at non iustas querimonias, ut scripseram, sed injustas Prædicatorum calumnias eidem locum dedisse, contendis. Perperam sane, atque injuria. Certe iustas fuisse querimonias, non modo quæ ibi paulo ante naraveram, Salmantica gesta evincunt, verum etiam dati mandati necessitas. Quid enim necesse fuisset, Societatis Præpositis injungere, ut eam doctrinæ, studiorumque regulam præfigerent, quam Societatis Constitutiones exigebant, si eas ante doctrinæ regulas religiose tenuissent? Accedit in dicti fidei Cardinalis Sabelli, supremi tunc Romæ Fidei Quæstoris, celebre responsum, a vobis ipsis memoratæ proditum, sed a te nunc studiose dissimulatum; dum Generalis Præpositi iussu quidam e vestris significasset, habendam propediem, pro stabilienda studiorum ratione, Congregationem: (2) id vero respondit ille; Maxime necessarium est; NAM OB ALIQUAM LIBERTATEM, NONNUNQUAM IN TRIBUNALI NOSTRO, HABITUS EST SERMO DE DOCTRINA VESTRA. Audi, Eleutheri, meque jam, si jure id potes, calumniæ postula, quod novandi libertatem Sixti V. mandato occasionem præbuisse, significarim. Neque refert, quod ita iussisse dicatur Sixtus, ne Societatis externis pateret calumniis. Utrumque enim ex æquo posuit, tum ne domesticis pateret periculis, (quod tu de industria files,) tum ne domesticis pateret calumniis. Si tamen hæc Sixti ipsius verba sunt, ac non potius Auctorum libri De Ratione studiorum, qui cum Pontificum mandatum præsa-

tionis suæ inferent, has ipsimet dati mandati rationes pro arbitrio retulere.

Alterum criminacionis tuæ caput est, quod in referenda Regula V., Theologiæ Professoribus data, qua sancitur fertur, ut in Theologia doctrinam S. Thomæ sequantur Socii, paucis exceptis, subiecta verba dissimularim, qua licet sint, aut videri possint S. Thomæ &c. quibus liquere ais, fassos tunc non esse Regularum illarum conditores, excepta illic doctrinæ capita, D. Thomæ re ipsa esse, sed dubium potius reliquisse. Verum hanc ipsam criminacionem data opera confutavi Tomo 2. Gallicæ Defensionis, (3) Art. 6. rem totam, quam tenebris obvolvete fatagis, in aperto posui; nihilque a me dolo malo dissimularim, ostendi. Quid tu ad illa reponis?

Postremo querelæ capite, mea hæc, ut tu quidem describis, verba suggillas: *Hanc sibi impostam a V. generali Congregatione provinciam, de studiorum ratione explicanda, executus Claudius Aquaviva anno 1599. eam tenende Thomistica doctrinæ legem circumscriptione temperavit, peneque irritam fecit novo decreto. Quibus verbis, velut ex me recitatis, ita lectorem compellas: Expectas, ut credo, lector, decretum novum Claudii Generalis, quo legem, a V. Congregatione de sequenda doctrina D. Thomæ latam, circumscribit, temperat, peneque irritam reddit: Sic enim ille asserit, sed insigniter imponit. Tum Claudii decretum a me recitatum exhibes, non utique novum, sed alteri, ab ipsa V. Congregatione antea edito, per omnia simile. Et hic rursus lectorum oculos provooco, an tenendæ doctrinæ Thomistica legem, a Generali Proposito concusam dixerim novo decreto; annon potius vocem illam, quæ tibi stomachum movet, de tuo addideris; cum id ego simpliciter scripserim: peneque irritam fecit, ita decernens; nec vel minimo addito verbo, quo novum illud decretum esse, significarem.*

Ecquid vero mihi magis lucro esse potest, quam quod Claudii Decretum, tenendæ Thomistica doctrinæ legem enervans, jam ante a quinta Congregatione editum, probes? Unde potiori, quam antea, jure colligam, non Præpositos modo, verum etiam Societatem universam, ad Ignatii legem concordibus animis evertendam, in generaliibus etiam Cœtibus conspirasse. Frustra quippe, ne Paterna instituta violasse videantur, Declarationem marginalem ab Ignatio subinde additam, denuo ingeris, qua, ut alius quoque Auctor, si hisce temporibus videretur accommodatior, cum Præpositi Generalis approbatione prælegi posset, indulgisse, fingitur. (4) Non enim, ut dixi capite 1., Ignatii declaratio censenda est, ex quo generalis Congregationis decreto corrupta fuit, iis e sancti Viri Autographo verbis expunctis, quibus ea maxime lege auctorem alterum prælegendum dixerat, modo ne foret Divo Thomæ contrarius.

In istarum, quas hic, & alibi fufius attingit, difficultatum examen nuspiam ingressum Natalem Alexandrum, cujus mihi suffragium (5) objicis, certo liquet, uti nec instituti ipsius ratio postulavit unquam, ut in eas diligentius inquireret. Vagas ille duntaxat, ac generales Societatis leges inspicit, de tenenda D. Thomæ doctrina, de amovenda a publico docendi munere, qui ei minus bene affecti essent, de verborum honore, quo ubique sit excipiendus Doctor Angelicus, profusas in eundem laudes unice perpendit, quibus Theologorum princeps dicitur, ejusque doctrina solidior cæteris omnibus, atque securior prædicatur: quod id unum

unum instituta ab eo contra Lænoium disputatio postulabat. Quid itaque mirum, si eorum duntaxat ratione habita, Sociorum in D. Thomam venerationem honorificentissimis verbis habuerit. Id profecto laudavit, quod re vera laudandum erat, quodque ipse laudasset, si iis se finibus continuissent. Verum fac, Alexandrum ad ea omnia mentem intendere, quæ ex libro de Ratione studiorum, nec non ex Claudii statutis, ac regulis adnotavi lib. 1. hist. cap. 2. & Tomo 2. Gallicæ Defensionis, art. 2. & 5. Fac, illum attentatam D. Ignatii declarationum mutilationem animo reputare: fac tandem cuique doctrinæ Angelicæ rejiciendæ, quoties adversa sententia videbitur probabilior, paulo distinctius expendere: fallor, si hæc ille perinde probaverit, quæ tam amplam vitiandæ Theologiæ viam aperiant. Nemo quippe in sententiam, quantumlibet liberam, propendet animo, cui non illa probabilior videatur.

De cætero, quod in extremo ad tuorum doctrinæ Thomistica desertorum excusationem affers, Multos e clarissimis Prædicatorum Ordinis Doctoribus, etiam in parte gloria sue reposuisse, quod aliquando a D. Thomâ discederent, antiqua cantilena est, toties a me confutata, ut plane pigeat, tædeatque denuo inculcare. Lege art. 5. & 18. Tomi 2. Gallicæ nostræ Defensionis, nec non priorem nostram ad Danielem Jesuitam Epistolam.

Quin illud deferendum esse parte Thomistica doctrinæ consilium Societas cepit bono animo; novamque subinde conciliandam cum gratia libertatis viam inierit, ea mente, ut Lutheranam, & Calvinianam hæresim felicioribus auspiciis impugnet, nullus dubito; nec ut id multis ostendebat, integrum caput attexere opus erat, cui profusas in Societatem Romanorum Pontificum laudes infereres. Namque & id pariter exploratum, Cardinalem Sadoletum, quique illi studio jungebantur, eruditores Italæ viros, bono perinde animo eliminandæ Augustinianæ doctrinæ consilium cepisse, quo felicis ævi nostri hæresis impugnetur. Ergone Sadoletum, eidemque studio junctos viros ea parte laudabis, quod bono, in rejiciendo Augustino, animo fuerint; probatamque tot sæculorum assensu Divinæ Gratiæ doctrinam, rejiciendam ab Ecclesiâ dices, ut ad illam segreges filii revocentur? Abiit. Nec enim res aliqua laudem habet, quod recta mente, rectoque consilio fiat, si alias forte in vitio sit; gravissimamque Romanis Pontificibus injuriam irrogare, convinceris, dum illorum in Societatem profusas laudes, (quæ aut navatam in revocandis ad fidem animis operam, aut excultæ eruditionis, atque doctrinæ meritum, datis diplomatibus confirmarunt) eo vis pertinere, ut novam hanc vestram conciliandam cum gratia libertatis rationem approbarint. Quasi vero ad privata Religiosorum Ordinum doctrinæ capita mentem intendant Romani Pontifices, quoties illos vagis de more præconiis celebrant; aut litterariis, quam cum cæteris alunt, concertationes in oculis habeant, dum eorum navatam Sacris Litteris operam laudibus efferunt. Id si pertinaciter velis; pari, ac meliori fortasse jure, Romanorum Pontificum oraculis probata dicta Prædicatorum Ordinis, totiusque Anglicæ Scholæ peculiaris quæcumque doctrinæ capita, cum nec laudibus ipsi pepercerint, quoties suis nos beneficiis ornant. Nec erat profecto, cur tam severo, tamque districto examine, in novam illam vestram libertatis, & gratiæ conciliationem inquirerent Clemens VIII. & Paulus V. eandemque a delegatis Cognitoribus tam asperis Censuris coram iniuri, permitterat; si hanc ipsam, vaga illa Societatis vestra commendatione, Paulus

III. Julius III. Pius IV. & V. comprobasse jam antea censerentur.

CAPUT IV.

De Belgicarum, quibus Lessius, & Hamelinus iniusti sunt, Censurarum Historia, ex Lessii ipsius narratione ab Eleutherio descripta.

Prolixam Belgicarum Censurarum historiam ex ipsius damnati Lessii narratione daturus, brevem Isaacii Habertii de diffidio Belgico narrationem præmissi, quæ paucis multa constringeret, Lessioque, in causa propria testem auctorem, audientiam faceret. Quæ fides Habertio, viro medullitus Moliniano, ac post annos circiter sexaginta, de diffidio Lovanienti pauca, atque ex occasione delibanti, danda veniat, planum fecimus Tomo 1. Gallicæ Defensionis, cap. 11. & hujusce Historiæ nostræ lib. 1. cap. 3. ubi etiam nonnullos ejusdem lapsus castigavimus, plures nunc, quos cum Lessio communes admittit, (quo fide penitus excidat) data occasione, castigaturi.

Sed quos tu lectoribus ludos præbes, dum in texenda Belgicarum Censurarum, excitorumque inde turbinum narratione, Lessium nobis Historicum das, cujus res agebatur, & causa! Tunc ille es, qui tam sæpe legum præscripta inciamas, ne tibi in narranda Auxiliorum Historia iidem auctores, & testes objiciantur? Qui Lemosii suffragium nec in minimo Historiæ capite tibi obijci sinis, quod in Societatem, pro domestica causæ defensione, steterit actor? Qui Prædicatores a ferendo, quacumque de re sermo incidat, testimonio rejicis, quod in causam ingressi sint universi? Et nunc vir juris, ac formularum tenacissimus, eundem nobis & reum, & testem inducis, in Judices declamantem: Lessium dico, Academicarum Censuris insumtum, Censores Theologos defricantem; latum in se ipsum iudicii auctoritatem ludentem, ac deprimentem; rem totam, ut lubet, libertque, quo culpam a se omnem amoliatur, detorquentem; Historicum, uno verbo dicam, pro suis commodis adversus Theologos Lovanientes confarcinantem? Quodque servitum magis, ac lepidum, hanc tu Rei, Academiæ iudicio damnati, narrationem, qua culpam omnem in Censores, ac Judices transfert, uti sanctioris cortinæ oraculum excipi vis, ac etiam jubes, quod is eruditionis, ac pietatis laude floruisse referatur: tanquam si vir eruditus, ac pius sibi ipsi dicere queat; aut non pari doctrinæ, ac religionis fama valuerint illi ipsi, quos in causa domestica testimonii dictionem non habere, paulo antea contendebas?

Nihil itaque juvat Nicolai Vernulæi, & Valerii Andreæ præclara de Lessio testimonia recensere, aut decantantem toties S. Francisci Saleisii eidem inscriptam Epistolam ostentare, ut id sodali tuo juris arroges, quod ne summis quidem Capitibus datum est. Etsi tam multa in hanc rem alibi observavi, tum Tomo 2. Gallicæ Defensionis, art. 38. tum in Additis ad Historiam col. 15. tum demum hic lib. 1. cap. 12. ut nihil jam ex officio illa Præsulis Genevensis Epistola, ad Lessianæ doctrinæ, Belgicis Censuris inulta, commendationem, possit extendi: unum dictis adjiciam, minime contemnendum: Præsulem Genevensis sententiæ, quæ prædestinationem ad gloriam ex meritorum prævisione suspendit, calculum adiecisse, periculosa admodum persuasione ductum, quod contraria D. Augustini, (ut fateatur) ac D. Thomæ sententiæ priorum sæculorum Traditioni repugnet. In ea questione, inquit ille Epist. 61. lib. 1. Utrum prædestinatio sit ex præ-

(1) In præf. lib. De Rat. stud. (2) Vide supra lib. 1. cap. 2. (3) Le Correcteur corrigé. (4) Vide de supra Cap. 1. (5) Sæculo 13. Dissert. 6. art. 12.

visis meritis, seu antiqua Patrum, qui Ambrosium præcessere, sententia teneatur, seu Augustini, aut Doctoris Anglici opinio probetur &c. Quod uti falsum, communicæ Scholarum, unicam per omnem ævum Traditionem agnoscendum, suffragatione rejectum est; ita procul abit a vero, quod tam futile, tam labili fundamento superstruit Episcopus Genevensis.

Quamquam porro Lessius, suo narranti, sibi que videtur fidentius accinanti nulla fides; lubet tamen ex abundantissima narrationis ejus capita dispungere, ut hanc, falsitatis, & audaciæ plenam, magna que ex parte in antecessum confutata, ostendam.

1. Præcipuum (si Lessio credimus) Conjurarum auctor, atque inventor fuisse, putatur Michael de Bay. Peccata calumnia est, integro capite 7. Libri 1. Historiæ nostræ depulsa, de qua etiam plura dabimus infra cap. 7.

2. Reverendissimus Cameracensis Barleymont Censuram misit ad Doctores Parisienses: sed Parisiis nihil effectum, quia Doctores nostram sententiam approbant, ut vult Decanus Facultatis Rectori Collegii nostri Parisiensis, qui hæc eadem ad Patrem Eleutherium scripsit. Narrationis falsitatem, ac repugnantiam detectam habes cap. 3. Lib. 1. Historiæ hujus, & cap. 11. Tomi 1. Galliæ Defensionis in solutione primæ quaestionis.

3. Sequitur in Lessii Narratione: Propositiones de Gratia, & Prædestinatione, quas damnant Lovanienses sunt D. Ruardi, Driedonis, Cumeri, Reverendissimi Iprantis, (Rithovii) Adriani Pape, ut facile est ostendere, & illi negare non possunt. Præter alios auctores plurimos tum hujus temporis, tum superiorum ætatum. Laudanda Lessii confessio, qua parte Joannis Driedonis, & Ruardi Tapperi sectator haberi vult, quos Semipelagianæ lue infectos, ac Faulto damnatae sectæ primipilo addiditissimos, nemo fecit. Hos illi doctrinæ Magistros concedit Schola Lovaniensis, nec invidet.

Audi Ruardum art. 7. De Libero Arbitrio, pag. 248. Editionis Lovaniensis 1567. Videtur, quod veteres Scriptores ante, & post tempora B. Augustini docuerint, Deum omnium conditorem gratiam suam omnibus offerre, atque ingere, imo & fidem esse generale donum, justitiam quoque esse generale munus, quasi fontem quandam, in medio hujus mundi expositum, & in commune concessum, patentem omnibus ad hauriendum; ut merito reus sit, qui accedere, & haurire neglexerit, sicut docet Venerabilis Faustus Gallie Episcopus. Pag. 145. B. Ambrosius, Chrysostomus, et Faustus optime noverunt regulam fidei. Pag. 148. Plerique Scholastici docent, quod in cujuslibet dominis potestate positum est, & relicum, quod insendantur ei fides, & caritas, quamvis a se illas habere non possit. Nam aliquis facere potest, quo facta, fides, & caritatem; Deo dante, secundum suam infallibilem ordinationem accipiat. Quemadmodum qui in domo est, fenestris ex omni parte clausis, non potest se ipsum illuminare, nec lumen in oculis suis producere; se nostram tamen aperire potest, quo facta, lumen ei statim accedit. QUAM SENTENTIAM SEQUE VIDETUR FAUSTUS, VENERABILIS GALLIE EPISCOPUS Lib. 1. De Gratia Christi. Pag. 171. Quia ea doctrina Augustini multi intelligebant, induci necessitatem, & tolli libertatem arbitrii; contra hunc errorem scribit etiam Faustus, Episcopus Gallie, Librum de Libero Arbitrio, & Gratia.

Hinc Jacobus Sirmondus, Gennadii, & Faustii defensor, Ruardum, & Driedonem, eorumdem sectatores, ac laudatores producit cap. 8. Historiæ Prædestinationariæ; Non desunt hæc ætate nostra,

& proximo ante seculo non desunt Viri doctissimi, exactique iudicii, qui in illorum irent sententiam: atque in his, ne plures comminorem, clarissima Academia Lovaniensis duo lumina, Joannes Driedo, & Ruardus Tapperus, qui Faustum ambo, nec sine honore, Catholicum Ecclesie Doctorem nominant. Qua in re, veterum ætatis fuit Lovaniensium, aliorumque prima nota Theologorum animadversionem fuisse Ruardum Tapperum, testis est Guillelmus Estius in publica Oratione contra Professore Jesuitam. (1) Nec illud, inquit, de Ruardo præmittendum est, eum aliquando a magnis viris, & nominatim a Petro Soto, doctissimo, & sanctissimo Theologo admonitum, & reprehensum fuisse, & coram, & per litteras, quod in illis suis de Gratia, & Prædestinatione opinionibus, non recte ambularet secundum veritatem Ecclesiasticæ Doctrinæ. Qui etiam aliquando a quadam Collegia Scholæ adnotatus de Faulto, quod non venerabilis, ut eum vocabat, sed damnabilis quod esset; ea re sibi indicata, admodum obstupuit, ut ego ab illo Collega accepi. Nam ab eo Collega fuit, sique præcipui, dissentiebant. Vapulat eadem de causa Tapperus apud Bellarminum lib. 6. De Gratia, & Lib. Arbitrio cap. 4. & apud Fossevium in Apparatu. Has porro Petri Soto ad Ruardum Tapperum, de quibus meminit Estius, Epistolas habes ad calcem Operis Antonini Reginaldi, de mente Concilii Tridentini, circa Gratiam se ipsa efficacem, novissime in lucem editi.

En quos ambiat Lessius doctrinæ suæ Magistros, Semipelagianorum adoratores, a reliquis ævi sui Theologis reprehensos. Cæteros quod attinet, Ruardi & Driedonis ætatem proxime secutos, Lessium falsi postulat laudatorem Estius, hæc ipsa contra Societatis Professore habita Oratione anno 1609. Ab anno, inquit, 1561. (id est biennio post Ruardi obitum) usque ad annum 1582. Scholæ Lovaniensis trivi, parum ut discipulus, parum ut Licentiatum, aut Magister, quippe sententiam, & doctrinam Professorum illius temporis probe cognitam habui. Ea autem loco tunc habebantur hæc dogmata; ut si quis ea publice vel docendo proponeret, vel disputando defendere, non parum offenderet. Quamvis præter Cumerum, vix aliquem novi, qui id tentavit, esse per id tempus, quod nominatim, habuerit ea Scholæ doctissimos Professores. Ita Vir eruditus, affectu omnino vacuus, cui, que viderat, & audierat, enarranti major danda fides, quam Lessio, novo hospiti, ad sui liberationem, ac defensionem scribenti.

Estium vera locutum, liquet publico documento, Gallica scilicet Institutione, a Francisco Richardoto, Atribatensi Episcopo, in usum totius Provinciae Cameracensis, edita anno 1567. & in Synodo Audomarensi, Ecclesiarum Recloribus commendata, anno 1583. Ex quo, florentem ea ætate toto Belgio de Gratia, & Prædestinatione doctrinam discimus Lessianæ, subinde in scholas advectæ, plane contrariam. Sic enim ibi cap. 13. legere est: La prædestination des Saints, qui s'appelle autrement election de Dieu, n'est autre chose, qu'un ferme, & franc propos de Dieu, eternellement conceu, par lequel il veut les eleuz estre sauvez, & leur presenter les moyens, pour y parvenir; le tout gratuitement provenant de son bon plaisir. En quoi nous pouvons remarquer deux causes, l'une effective, & motrice, l'autre finale, & consecutive. La première est effective, comme qui demanderoit, qui a été cause, où qui a me la sapience Divine de prædestiner, & choisir S. Paul, S. Pierre, & les autres? Lors faut il répondre, qu'à la seule bonté, & volonté de Dieu se doit

attribuer cette éternelle election. Ce, qui se peut clairement montrer par le discours de S. Paul en l'Epistre aux Romains, où il dit: que ce n'est pas de qui veut, où de qui court, que ce bien nous est fait, mais de Dieu seul, pyroiable, & misericordieux. Ce, qui pareillement en l'Epistre aux Ephésiens, & à Timothée première se peut clairement voir; par où l'Apôtre dit ouvertement, que la prædestination, & election des Saints precede nayvement du seul, & bon plaisir de Dieu, qui a pensé, & délibéré sur nostre salut devant la constitution du monde. . . . Telle est la vraie, sincère, & Catholique doctrine, narrant la prædestination &c.

4. Ut ad Lessianam Narrationem redeamus, Francisci Costeri S. J. Provinciae Præpositi Epistolam, Joanni Simoni Canonico Insulensi inscriptam, recitat Lessius, approbatque, cujus sunt hæc ipsa verba, observatione dignissima; Ut a Divi Augustini sententia nostri recederent, nihil se adverteri Cælestino Pontifici, responderent, qui non omnia scripta, & dicta Augustini de Gratia sic approbavit, ut ab eis sine suspitione hæreses, nemini recedere liceat; sed illa tantum, que directè hæresim Pelagianam impugnant, & evincunt. Non ignorabat enim doctissimus Pontifex, reliquos omnes Doctores Ecclesie alio quodam modo de Gratia, & Libero Arbitrio non tam sentire, quam loqui; illos præcipue, quibus non fuit cum Pelagianis negotium: quos utique hoc tempore in ejusmodi loquendi modo potius sequi convenit propter modernos Lutheranos, liberi arbitrii impugnatores, quam Augustinum, cui erat cum Pelagianis negotium, ascribenda Gratia Christi, & nimis assertoribus energie Liberi Arbitrii. Sic itaque, Costero, ac Lessio quibusdam, reliqui omnes Ecclesie Patres Augustini loquendi formulas repudiarunt; eosque in debellandis Lutheranis & Calvinianis, duces sequi præstitit, quam Præfulem Hipponensem. Dignam isti Theologis vocem, qui in Divina Gratia quaestionibus Augustiniani haberi velint!

5. Doctrinam Societatis, pergit Lessius, adversus utramque Censuram præcipue prodierunt Suffraganeus Cameracensis Minorita, & ex Episcopis Reverendissimus Antverpiensis, Levinus Torrentius, & Reverendissimus Middelburgensis, Joannes Strienus, qui varias de hoc negotio ad Reverendissimum Lindanum Epistolam scripsit, quibus eum a Censura subscriptione adduxit. Id magna ex parte confictum constat. Nullo quippe documento probari potest, Suffraganeum Cameracensem Censuris Belgicis repugnasse. Levinus Torrentius, non nisi post editam Censuram, Antverpiensis Ecclesie sacris admodus, Jurisconsultus, non Theologus audiebat; humanis fide bene quidem, at non item Divinis, ac Sacris excultus Litteris, Middelburgensis autem Episcopus, cujus maxime patrocinio Lessius lætatur, e Comprovincialium numero non erat, ad quem hujusmodi cause cognitio jure aliquo pertinet, sed ob Hæreticorum persecutiones extorris, hospes Lovanii debebat, Collegii Regii Præfex; nec nisi subtilibus momentis, ac rationibus permotus, Sociis patrocinatus perhibetur, datis nonnullis Epistolis: ut, quod inusta ab Academicis Lessii dogmata, Ruardi, Tapperi, Joannis Driedonis (quos Semipelagianæ lue infectos vidimus) aliorumque illius ævi Theologorum placita essent: quod quaestiones, opinione libera, viderentur, in quibus ab Augustino discedere, liberum esset, juxta Cælestini Romani Pontificis pronuntiatum: Profundiores vero, difficiliore quoque partes &c. Quare æquo perinde jure Lovaniensis Academia dogmata nulli censura obnoxia fatebatur; nec Lindanum ille a data jam pridem Censura subscriptione adduxit, feda ad tentandam A-

cademiæ cum Societate concordiam inclinavit, si sublati aliquot voculis, aut interioribus sententiis iniri posset, ut ex ipso Lindani Rescripto compertum est.

Miranda profecto Lessii ars in suis amplificandis, alienisque deprimentis! Unus, & alter, qui causæ faveat, legionis instar illi sunt: qui repugnant, quancumque numero sint, pauculi dicuntur, ac ferme nulli. Quam concordia, si unum, alterumque exceperis, in præscribendis Lessii dogmatibus, animo fuerint Belgii Præfules, necnon etiam Canonorum Collegia, ex Iprensis Episcopi, præ cæteris cunctabundi, Litteris liquet, Zelandro Jesuitæ datis die 10. Maii 1588. Quod ad controversias illas atinet super doctrina Gratia, & Prædestinationis Christi, inter Societatem vestram, & Universitatem exortas; judicio Universitatis Theologicæ Lovaniensis me ea in re subscripsisse, inficiari non possum, nec volo. . . . Cum iterum, atque iterum sententia vestra peteretur, cum significatione ALIOS EPISCOPOS OMNES, & vicinas Universitates judicium suum jam dudum misisse, non potui ulterius refragari petitioni Reverendissimi D. Archiepiscopi Mechliniensis, Metropolitæ, & superioris nostri. Liqueat hoc idem ex publico Societatis documento, in Imagine primi seculi lib. 4. cap. 4. Adversariis nostrum dedecus indelentem urgentibus, major pars Episcoporum, & quadam Collegia Canonorum geminis duarum Academicarum Censuris calculum adiecerant: Mechliniensis vera, & Cameracensis Metropolitæ Synodum parabant Episcoporum, qui dogmata nostra, a duabus Facultatibus damnata, discuterent, eademque toto præscriberent Belgio, adeoque Societati notam inirent hæreticæ pravitate.

Quid itaque tibi vis, Eleutheri, dum Lessii hallucinationes novis hallucinationibus cumulas, ut multos illi adversus Belgicæ Censuras patronos asciscas; nec tres tantum Episcopos, ut ille quidem pro magno solatio numerabat, sed septem accitas, ac perditæ causæ propitios effutias; Calatinum, Nuncium Apostolicum, Mechlinensem, Ruræmondensem, Iprensium, Middelburgensem, Antverpiensem, Torræcentem electum, ac Suffraganeum Cameracensem: ob id videlicet unum, quod cause hujus, ut ais, decisionem non esse Censuram Lovaniensium arbitrio dirimendam, sed Apostolicæ Sedi relinquendam, judicant! Diclum bene, ac ingeniose pronuntiatum! Nimirum idem esse putas, ultimum doctrinæ Judicium Apostolicæ Sedi committere, ac latum ab Academia judicium improbare: quasi Theologico Lovaniensium judicio subscribere nequiverint memorati Præfules, (uti majori ex parte subscripsisse; certo liquet) simulque decretoriam sententiam Apostolicæ Sedi reservare? Id qui dicat, Lovaniensem Censuram, in ipsamet Censuræ defensione a Lovaniensibus Theologis adornata, improbatam sibi fingat, necesse est. Namque extremum doctrinæ Judicium Apostolicæ Sedi, non secus ac laudati Præfules, reliquere Censores Theologi. Censuræ nomen, Præfationis verba sunt, illi deditus, non quasi damnationis auctoritatem nobis sumentes, quam sacro-sanctæ Apostolicæ Sedis propriam esse, non ignoramus, sed scholasticum tantum judicium, sententiamque nostram dicentes; aut, ut verius dicamus, non aliud, quam fraternam correctionem interponentes. Ac tum demum in Peroratione: Censuram, scholasticumque judicium nostrum, qua decet veneratione, sacro-sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, Censuræque libenter submittimus, extremam ejus, definitamque sententiam gratissimis, prænisiisque mentibus accepturi; in quam ut intrudere aliquando velit, etiam, atque etiam rogamus. Videm quam bene duo ista cohzreant, Censuræ Theo-

(1) Idem habet Lemos Lib. 1. Tractat. 5. pag. 124.

Theologicae subscriptio, aut, si mavis, confirmatio, itemque iudicii Apostolici petitio?

6. Institutam Narrationem prosequitur Lessius. *Dum hac aguntur in Belgio, R. P. Olverius Mananus, Provincialis tunc temporis Provinciae Rheni petiit, ad se mitti capita Controversiae, ut de illis iudicium Academicarum Germaniae exquireret. Itaque mitto illi sex Antiheses, quas ille Trevirensibus, Moguntinis, & Ingolstadtensibus transmisit. Post aliquot hebdomadas, Censuræ illarum authenticæ, sigillo Facultatis munita, ad nos mittuntur. Quid de iis Germanicarum Academicarum, seu verius Societatis Collegiorum Censuris statuendum, cumulate diximus in Defensione adversus Querelam Caroli Gasparis Metzzenii cap. 4. & lib. 1. huius Historiæ nostræ, cap. 3. ubi fat bene Molinianos Censores, domesticæ causæ iudicium affeclantes despicimus. Duo tantum, quæ nos ante latuerant, ex Lessio dicimus: 1. Ingolstadtenses, non fecus ac Trevirenses, & Moguntinos sententiam pronuntiassent: quæ res novam difficultatem non movet, quippe cum una Sociorum omnium ratio subit, illorumque nemini in causa domesticâ pronuntiare fas fuerit. 2. Jesuitarum Præpositum Provinciale non de ipsa Lovaniensis Academia Censura, in 24. Lessii propositionibus distracta sententiam rogasse; sed de sex duntaxat propositionibus, quibus doctrinæ suæ summam complexus erat Lessius, totidemque contrariis assertionibus, quæ Lovaniensium doctrinam in pauca contraxerat. Porro hanc ipsam utriusque doctrinæ synopsis, artificiosè, & infideliter a Lessio constam, conquesta est Academia, datis ad Moguntinos Epistolis die 10. Septembris 1588. ut hoc etiam ex capite, præter tam multa jam pridem notata vitia, Germanorum de Belgicis Censuris iudicium nuret. Hoc scriptum, Academia verba sunt, artificiosè ab ipsis, parumque fideliter constatum, nos non agnoscentes, neque recipimus, quemadmodum, favitanti-bus nuper amicis, brevi aliquo rescripto testatum fecimus. Nam controversiæ nostræ status non illic sincere proponitur; quando quæ sua dogmata videri volumus a nobis notata, ea, odiosè prætermittit, mollissimo, speciosissimoque exornant; nostræ quæ esse, ajunt; odiosissime efferrunt, nonnulla etiam appingentes, quæ a Facultatis nostræ mente sunt alienissima. Unde intelligere potest prudentia vestra, quam cæcum, minimeque circumspèctum fuerit de nobis iudicium vestrum, qui, non explorata diligenter transmissi ad vos seditiosam fide, tam facile illis, remeque credidistis, Censuramque edidistis vestram, non absque nominis, famæque nostræ injuria, & lesione.*

7. Extremum fabulæ actum ludit Lessius in hunc modum. Interea propositiones Romani perveniunt ad Sixtum V. Summam Pontificem, quas Facultas Theologica Lovaniensis, & Duacensis suis Censuris damnaverant. Accepit propositiones Pontifex, & postea in Consistorio iussit, illas eorum se, & Cardinalibus legi. Quibus lectis, Pontifex, ut erat insignis Theologus, dixit, se idem sentire; & rogavit Illustrissimos Cardinales, quid ipsis videretur: Qui easdem propositiones tanquam sanæ doctrinæ articulos approbarunt. Unde Pontifex in Brevis, directo ad Illustrissimum Nuncium, Otharium, Episcopum Calatinum, cum illum Coloniam ad hanc Controversiam sibiendam mitteret, vocat nostras propositiones sanæ doctrinæ articulos. Dic, quæso, poterat res expeditius confici? Excipiuntur triginta, & eo amplius de rebus omnium difficillimis assertiones, leguntur, probantur, eodem & loci vestigio, & temporis. Quam bene morosam Ro-

manorum in ferendo iudicio cunctationem ista sapiunt! At vide conclusum fabulatorem. Propositiones ab Academia confixas, ab Summo Pontifice, totoque Purpuratorum Patrum consensu probatas narrat; quo iudicio & definita lis, & Jesuitis adjudicata censenda esset: Pontifex vero, dato Brevis Apostolico, utriusque partis instrumenta transmitti iubet; (1) Ut duce, auctoreque Spiritu Sancto ea desinat, quorum certam doctrinam eos habere oportet. Verum de his plura lege Lib. 1. cap. 6. ubi invictis momentis ostendimus, quem ea Brevis Pontificii verba sensim habeant, super quibusdam sanæ doctrinæ articulis, unde tota & Lessii, & Sociorum hallucinatio nata est. Certe tantum abest, ut Lessii propositiones, sanæ doctrinæ articulos dixerit Pontifex, ut illi potius non mediocriter successerit, si Henricus, Societatis Theologo præstantissimo, fidem damus, ita lib. De ultimo fine, cap. 12. scribenti: *Quidam Doctus predicavit in Academia Lovaniensi oppositum, (sententiam scilicet, quam defendit, gratiæ Prædestinationis) cum magno scandalo Academicis: & re ad Sixtum V. Papam delata, sustinuit suæ reverentis gratiam reprehensionem.*

Lessium alio ex capite in apertam dictorum repugnantiam lapsum, evincimus. Is enim Theologos Lovanienses aliena sibi dogmata affixisse in distracta Censura, paulo antea, querebatur coram Archiepiscopo Mechliniensi, seque idcirco ad veram, germanamque doctrinam suam, sex propositionibus compendio concludendam, additum inquebat, ut capita quadam, quæ falso imposita sibi fuerant, repudiaret. Nunc vero propositiones, in ipsa Lovaniensi Censura notatas, suas omnino fatetur; cum suam idcirco doctrinam probatam dicitur, quod assertiones ab Academia confixas, sanæ (in ipse quidem autumat) doctrinæ articulos dixerit Pontifex. Conciliet ista, si potest. Aut enim germanam Lessii doctrinam iis propositionibus complexi fuerant Lovanienses; aut, si falsa doctrinæ capita imposuerant, non Lessianam, sed aliam, ad ipsomet Lessio rejectam sententiam, Pontifex approbavit. At de his plura cap. 6.

8. Claudii fabulam Lessius, & recitato Nunciû Apostolici Decreto, quod cap. 4. lib. 1. descriptum habes, ita in rem suam colligit. Hoc edito dupliciter Censuram tacite damnat. 1. Dum suas sententias sanæ doctrinæ articulos, ex Brevis Apostolico, ut ante diximus, vocat. 2. Dum excommunicat eos, qui nostras sententias damnant, nobisque libertatem nostram in iis docendis reliquit. Nec refert, quod de sententiis utriusque partis generatim illud statuerit: Hoc enim facit, ut minori difficultate a Theologis recipiatur, ut ipsemet nobis affirmavit. . . . Post hæc egimus Lovanii satis quiete, & ipsi Doctores sensim suas sententias mutare ceperunt. Atqui nec Lessii sententias sanæ doctrinæ articulos dici laudato Decreto, nec quidquam in Sociorum gratiam peculiariter statui; sed omnia generatim, & interim, de utriusque partis sententiis, donec Apostolica auctoritate definita fuerint, pronuntiari, dedimus manifestum Lib. 1. cap. 6. Lessiumque contrarias Nunciû denunciations, ad aures sibi factas, temere garrientem, ex ipso Decreti contextu falsi convicimus. Lovanienses autem, ac Duacenses adeo sententias non mutarunt, ut suas potius in Lessium, & Hamelium Censuras, secutus inde temporibus, concordi consilio identidem confirmarunt; iidemque sententiis & adherere se, & adhæsisse semper, publicis Instrumentis, a nobis cap. 7. Lib. 1. recitatis, contestati sunt.

C A

(1) Vide infra cap. 6.

CAPUT V.

De navis, atque erroribus, quos in nostrâ Belgicarum Censurarum Historia, Eleutherius temere notat.

Disputata Leonardi Lessii historica narratio, nostra ab impactis erroribus nullo negotio defenditur. Errores quippe vocas, quæcumque a Lessio diffidere deprehendis: Cum contra, ea vel maxime ratione, vera tibi videri debuerint, quod a Scriptore, a vero tam turpiter aberrante, dissideant.

Pauca verba, quæ narrationi meæ initium dedi, erroribus fatis dicis, quæ maxime ad fidem historiæ exacta sunt. *Vix coeperat, inquebam, cap. 3. in Societate circumferri Liber De ratione studiorum, primis Claudii Aquavivæ curis elucubratus, eisque auctoritate munitus, cum statim quotquot hætenus in occulto novitatibus fuerant delectati, eas incircumspecte, erebique supercilio, in scholis venditare aggressi sunt. Hos inter primi in aciem descendendum Leonardus Lessius, & Joannes Hamelius, Lovanii in Collegio Societatis Jesu Sacra Theologia Professores, annis 1585. & 1586.*

Quid tu, quæso, ut errorem exprobes? Quatuor maxime reprehendis. 1. Librum De ratione studiorum, Claudii Aquavivæ auctoritate munitum prodidisse, distiteris. 2. Affeclatæ novitatis culpam a Sociis amoliris, partim Middelburgensis Episcopi advocacione, quam illis plurimam commodavit; partim S. Francisci Saleii data ad Lessium Epistola, qua doctrinam de prædestinatione, ex meritis pendula, antiquitate niti significavit; partim tandem Driedonis, Tapperi, Cunerii, Rithovii, Stapletonii, quos Magistros, ac duces habuerant, auctoritate, atque suffragio. 3. Temporum rationi minus respondere ais, quod scripsi, Lessium, & Hamelium novitates suas venditare aggressos, statim atque Liber De ratione studiorum circumferri cepit; cum is Roma in Provincia examinandus missus sit anno duntaxat 1586. mense Julio; Lessius tamen, & Hamelius annis 1585. & 1586. suas Lovanii merces venditarint. 4. Me in altero quoque delusum diçitas, quod Henrico Gravio demandatam provinciam scripserim Moguntinensium, ac Trevirensium iudicia refellendi, cum id non Gravium fecisse, sed Cuikium, ex datis ab ipso literis competissimum sit.

Verum lectores tris, & æquivocis ludis. Esto enim Præpositi Generalis auctoritate munitus, eo sensu dici non possit Liber ille, quasi opiniones in Societate tenendas, suprema jam tunc auctoritate definitivissimè, quippe qui Provinciarum sententias, antequam res plene constitueretur, & induceretur in mores, conquirebat: eo tamen sensu illius auctoritate munitus dicitur, quod, eo iubente, ac dirigente a selectis Theologis editus esset, eodemque mandante, per Provincias vulgaretur. Qua de re plura dedi Tom. 2. Gallicæ Defensionis, art. 6. Quid tu vero Middelburgensis Episcopi, peregrini duntaxat, & hospitis, advocacionem inuitis Sociis præstitam iactas, ut studium novitatis excuses; cum cæteros pene omnes, ut vidimus, duarum Provinciarum Episcopos adversarios experti sint? Aut quid Præfulem Genevensem in hanc Lovaniensem causam inducis, qui non nisi post annos inde triginta officiosam illam ad Lessium Epistolam dedit, cujus etiam auctoritatem invictis rationibus enervavi, locis superiori capite adnotatis? Quid Driedo-

Serry Tom. II.

(1) In Præf.

nem, Tapperum, Cunerum, Stapletonium, ad amovendam inductæ novitatis invidiam, obtendis; cum id potius Sociis vitio detur, quod viros illos, Semipelagianismi, ac novitatis a præstantissimis Theologis insimulatos, doctrinæ suæ duces habuerint? Jam vero obiecta ex ratione temporum cavillatio, brevi Clarissimi Pegnæ adnotatione refellitur, Artic. 8., laudatæ paulo antea Defensionis, & Lib. 1. Hist. cap. 3. qua liquet, Librum De ratione studiorum ipso mense Augusto anni 1585. a selectis Theologis absolutum, jam tunc in Societate circumferri ceptum esse, antequam, elapso subinde anno, domesticis typis ederetur. Lessius autem, & Hamelius, qui cadente anno 1585. Theologiam profiteri Lovanii ceperant, anno duntaxat 1586. inulta dogmata procederunt. *Dogmata, inquit Lessius in Narratione, quæ Facultatis Censura perstringuntur, prælecta sunt anno 1586. circa Pascha, quarto, & quinto mense postquam Lovanium ex Italia, venissemus. Quod spectat Theologos Trevirenses, ac Moguntinos, delusum me putas delusum ipse, dum expulsi ad Moguntinos Epistolam, eandem Germanorum Iudiciorum confutationem existimas. Gemina enim scriptio est, illa Cuikii, ista Gravii.*

Reliqua, quæ carpis, errorum capita, vitilitandi pruriginem produunt verius, quam difficultatis aliquid præ se ferant.

1. Quod Lessium Academicam Lovaniensem rogasse, dixerim, ut selectas Theologos designaret, quibuscumque coram arbitris hoc de argumento conferre possent; idque Academicam pernegasse, ne dignitatem, auctoritatemque suam demittere videretur. Quibus in verbis nihil tu falsi deprehendis, sed a me duntaxat dissimulatum contendis, pluries id a Lessio, & ante, & post latam Censuram, postulatam esse. Quasi vero malum causæ interfuit, seu semel, seu pluries id postularit Lessius; aut tanquam certissima, verissimaque excipere necesse sit, quæcumque de facta torques postulatione naravit Reus, quo majorem Censuris suis constaret invidiam.

2. Quod Lessium Stilo amarioris lata Censuræ respondisse, significarim. Quocirca eruditorum oculos, atque iudicia testaris, qui Lessii Apologiam cum Censura Facultatis, ut ais, amarissimè conulerunt; mihi que interim donas, (1) scriptori, (quod ironice dicis) mortalium omnium modestissimo, ministrumque, ut de calami moderatione certem. Eisdem ego oculos testor, annon amarior Lessii Apologia, quam Academicæ Censuræ, quam non tam Censuram, quam fraternam correptionem habendam, voluere Lovanienses; tibi que, scriptiois immodestiam, & amaritudinem exprobranti, potiori jure dono, ut illud pericam in te sumas, *Ve tibi, ve nigre, dicebat cacabus olla.*

3. Quod scripserim, Lessium, nullo producto momento, decantatam a Bellarmino paliudiam respondisse. Cujus tu dicti falsitatem, recitata Lessii responsione, probare satagis; unde e contrario, me vera locutum, certius evinco. *Quod autem, inquit Lessius in Responsione ad Lovaniensium Præfationem, in Conclusione nos hortantur, ut sententiam Bellarmini sequamur; id omnino facimus; nam hanc totam fere de prædestinatione doctrinam ab illius ore in familiari colloquio accepimus. Nec refert, quod ille hic aliter docuerit: Nam tunc non satis examinaverat D. Augustinum; postea enim, re diligentius expensa, & D. Augustino diligentius, & accuratius expenso, & Hæreticorum rationibus consideratis, in eam sententiam concessit, quam nos modo tenemus, quam in Gallia Parisiis,*

D

in

in Hispania Salmantica, Compluri, & Conimbria, ubi sunt & viri doctissimi, & viget Inquisitio, traditam semus. Ecquod, quales, decantata a Bellarmino palinodiz argumentum, in hac tota Lessii Responsione? Hoc ille quidem affirmat, Bellarminum a pristina sententia desiliisse: at tota penes auctorem fides est. Id cum probe videris, adnotationem hanc, quæ ad Lessianæ Apologiz marginem addita est, veluti textus ipsius partem (quæ tua ingenuitas est) objecisti: Legatur Bellarmini Lectio, Lovanii facta 1573, circa quæstionem 109. art. 8. 1. 2. ubi de auxilia sufficienti, & efficaci idem docet, quod nos. Idem etiam post multo suscit fecit Romæ. Certissimum tamen est, hanc ad marginem Lessianæ Responsionis notationem, non in ipso Lessii Codice, qualis Academia datus est, sed ab aliquo deinceps Codicis exscriptore, ac certe secundis curis adjectam esse. 1. Quia textui palam, aperteque repugnat, ubi Lessius simpliciter concedit, Bellarminum aliter Lovanii docuisse; nec nisi postea sententiam correxisse: quod utique falsum esset, si Lovanii quoque idem, quod Lessius, docuisset. 2. Quia Academia Lovaniensis hanc Lessii Responsionem reflexens anno 1588. Bellarmini sententiam mutationem, tanquam novissime factam, a Lessio jactari, ait: Si verum est, inquit Lovanienses, (1) de R. P. Bellarmino quod scribimus, sententiam illam mutasse nunc suam &c. quod Pariter absolum esset, si factam a Bellarmino jam tum ab anno 1573. mutationem, Lessius observasset. Addam, nec sic quidem probatum iri Bellarmini palinodiam, etsi indubitata Lessii adnotatio illa esset. Vaga siquidem Bellarmini Prælectionum, ante annos 15. habitatum, indicatura probationis loco censeri nequit; sed distincta, & explicata loca proferenda erant, quæ decantatam palinodiam vincerent. Nec me multum nonnullorum Bellarmini Codicum movet auctoritas, quibus Lessii causam, ex quo Romam ascita est, dicitur defendisse. Non enim id agitur in præsentia, quid ille in sententia subinde mutavit, ubi primum Societatem hinc implicatam vidit, qui totus ex Superiorum nutu pendebat, eratque cothurno in mutandis opinionibus versatior; sed nunc ante exitum Lovaniensium diffidium palinodiam cecidisset; ut a Lessio jure, meritoque produci posset.

Post hæc ad amara lamenta venis, quod Germanicæ Academiæ, seu verius Societatis Collegiorum, de Lovaniensi Censura judicium, leve dixerim, & elumbe; obscurique nominis Academiæ, subitæque futuræ Magistrorum obiter defricerim. At non lamentis, sed momentis, iisque gravissimis opus est, ut que in nostra adversus Syndicum Trevirensis Defensione, ac tum hic Lib. 1. cap. 3. in dicti probationem allata sunt, resellantur. Adscriptitios illos Germanicæ Judices de Censura Lovaniensi sententiam, uti dixeram, pronunciasse, quo eam tempore minime legerant, ipsumque proscriptarum propositionum numerum ignorasse, certius est, quam ut in dubium verti possit; nec alium facti hujuscæ, nisi te ipsum tementem, appello. Lessius enim, ut narras ipse, non nisi sex propositiones, ad quas triginta quatuor assertiones, a Lovaniensibus proscriptas, revocari dicebat, in Germaniam miserat, sententiam rogaturus: ii vero de tota Lovaniensi Censura, nec tunc quidem ab iis visa, judicium ferunt, quasi illas ipsas senas propositiones confixisset. Prodit superiori anno, inquit Trevirenses sub ipsum Censuræ suæ initium, Censura Theologorum Facultatis Theologica in Academia Lovaniensi,

si, qua tanquam peregrinas, offensivas, periculosas, heresique vicinas, damnant, atque rejiciunt sex propositiones, a Professoribus Societatis Jesu in Scholis suis Lovanii doctas, & publice traditas; de quibus rogati, ut nostrum judicium communicarem, negare non potuimus id officii, quod veritatis confirmationi debetur. Moguntini vero paucis præmissis: Quod autem ad dictas sex propositiones, quas Doctores Lovanienses improbarunt, & condemnarunt, attinet, arbitramur eas, secundum explanationem, a Theologis Societatis Jesu eis adjectam, esse ab anni heresi, errorisque suspitione alienas, & Catholicæ doctrinæ, in Scholis receptæ, congruentes. Viden, ut cuncta Germani Doctores miscent; gravique hallucinatione, ex seuis sibi oblati propositionibus (quas artificiosè, parumque fideliter constatas, superiori capite vidimus) de tota Lovaniensi Censura incircumspectè pronuntiant?

Haud multo feliciori cygnosura mare istud enavigas, dum a Germanis ad Gallos divertis, ut & illic aliquid rodas, mihi que absonam rationationem affingas: tanquam qui Theologos Parisienses Lovaniensibus assensisse, dixerim, silentio suo, ex illa Juris regula: Qui tacet consentire videtur. Non id ego absolute: sed cum Parisiensis Academiæ silentium in rem suam Socii verterent in imagine peimi feculi, lib. 1. cap. 4. quod nihil, accepta Lovaniensium Censura, Sorbona rescripserit; contra ego reposui: Si quid ex silentio colligi merito potest, illam Lovaniensium Censuræ assensisse potius, quam repugnasse, judicandum erit: Nemoque est, qui, si eam totam ex certis sibi accidentibus, qualia a me recensita sunt, estimare velit, Sorbonæ silentium approbationis loco non habeat potius, quam contemptum, & desipientiam. Neque obest, quod surda perinde aure Lessii Apologiam præterierint Parisienses: Ea quippe ad ipsos perinde transmissa non erat, ac lata Censura; nec ipsi in facti gravissimi testes a Lessio, uti a Lovaniensibus, vocabantur, ut publica falsi postulatione revinci deberet, aut posset. Quamquam tamen non in una Parisiensium taciturnitate argumenti vim posui, sed & in aliis, minime contemnendis, quibus nihil, quod reponeres, invenisti, nisi fluxam, futilemque Lessii tui, & Habertii testificationem, falsitatis, ac repugnantia convictam Lib. 1. cap. 3.

Iis depulsus munimentis, ad resutatas diu calumnias de more dilaberis; meque (2) nescio quorum Baii, & Jansenii defensorum, (quibus corrigendæ, edendæque Historia meæ curam mandaverim) amicam dicis; iisdemque diurno litterarum commercio junctum, essuris. Quorsum vero tam insula, tanque ab instituto exorbitans declamatio? Scilicet, ut aliqua juris specie, Epistolam nescio quam, ab illorum, ut ais, prædicationis ad ipsos datam, mihi objecias, in qua iniquum istud de Academia Parisiensi testimonium legebatur: Suffragium Domini le Bossu anno 1607. judicio non caruit illo tempore: & credo, verum esse, quod ait, Facultatem Theologicam Parisiensem non adeo tunc fuisse instructam in materia gratis, & in doctrina S. Augustini, quemadmodum Lovaniensis, & Duacena fuit: & si rogata fuisset sententiam promovere Facultas illa, judicium tulisset valde incertum, valdeque perplexum de Molina opinionibus. Unde id obiter elicit, Jansenianos, iisque fœderatos Theologos, ingenue fassos esse, Parisiensem Academiæ procul a Lovaniensibus, & Duacensibus placitis abesse.

Quos tu Bajanos, ac Jansenitas, aut illis amicos, ac fœdere junctos dicas, non laboro; quotquot enim probabile putant, non peccare mortali-

ter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, hanc quibuslibet calumniam fidenter important. Quas etiam probrifas, & Academiæ Parisiensi injurias jactas Epistolæ, nec moror, nec novi, ac tu ipse fortasse nefcis, qui adscriptum illis nomen nequidem insinuas. Demus tamen, id esse, quod narras, scriptamque, ut vocas, ad amicos Epistolam concedamus. Ergone amicorum non solum facta, sed etiam dicta, scriptaque omnia præstanda mihi erunt; nec modo, quæ ab illis ad alios scripta fuerint, sed, quod stultissimum est, quotquot etiam ad illos ab aliis Epistolæ commearint; ut invictum ex illis in me argumentum elicere jure possis? Hoc itaque amel ad summum habeto, Eleutheri, quidam aut amicorum, ut fingis, aut aliorum ad ipsos, seu veras, seu falsas, obtrudes Epistolæ: nullius ego, nisi meas Epistolæ in me recipio; pro nullo sponfor, ac fidejussor datus sum. Quia autem eandem redituram fabulam mones, ubi de Academia Parisiensi sermo recidet, (1) commodior quoque locus dabitur nobis, Clarissimi Bossutii mentem, quam sede tuus ille Jansenianorum fœderatus interpretatur, aperienti; nec peregrinos Academiæ Principi sensus affingere pergas.

Ad illud postremo venis Henriqueſii Jesuitæ, gratitum electionem ad gloriam propugnantis, testimonium, quo Lessium tacito nomine dicitur fuggillasse: Quidam doctus predicavit in Academia Lovaniensi oppositum, cum magno scandalo Academiæ; & re ad Sixtum V. Papam delata, sustinuit sue temeritatis acrem reprehensionem. Et quidem viri docti nomine Lessium indigitari, ex adjunctis ostendi Lib. 1. cap. 4. consentiuntque Theologi plane omnes, iis duntaxat exceptis, quos gravissimum in causa domestica testimonium male torquet. Tu, quid reponas, haud satis habens, in omnem partem animum verfas; ac modo quorundam interpretationem insinuas, qua non de Viro Theologo, & scholæ cathedræ prælectiones habente, sed de Concionatore, & sacro suggestu ad populum verba faciente, locutus Henriqueſius fingitur: quod a nobis dudum est refutatam; modo in Henriqueſii textum mendam typographicum irrepisse, legendumque: re ad Sixtum IV. delata, subditimè innuis; ut non ad Lessium, sed ad Petrum de Rivo, (quem a Sixto IV., ob nonnulla, in Academiæ Lovaniensem invecata, dogmata male habitum, constat) tota illa Henriqueſii animadversio referatur: Qua tu divinatione turpius aberras. Nam præter alterius Pontificis subrogationem, non ex fide Codicum, sed pro arbitrato, temereque ex cogitatam, repugnat dogmatum discrepantia. Henriqueſius enim Theologum tacito nomine carpit, qui Catharini sententiam in Scholam Lovaniensem invecerat, qua ponebatur, Prædestinationem Sanctorum communis ordinis, non fuisse infallibili decreto Dei constitutam, ante prævisa ipsorum opera, & finem vitæ: quæ res in Lessium (quidquid in oppositum circulatorum obtendant) maxime quadat; cujus est Assertio illa numero 30., a Lovaniensibus inusta: Numerus Prædestinationum non est certus ex prædestinatione, quæ antecedit omnem præscientiam operum. Rivius autem ob assertionem, non mediocriter discrepantem, Sixti IV. censuram subit, annis ante Catharicum circiter octoginta: Quidquid per necessarium consequentiam sequitur ex inevitabili, hoc est inevitabile, & necessarium. Immo repugnat huic tuæ divinationi narrata ab temetipso Henriqueſii adversa fortuna, qua Præpositi Generalis animadversio Tom. II.

versionem sibi concitavit. Rationes quippe percontensens, (2) ob quas adversum sibi Societatis Præpositum expertus est, ob adnotatum Tractatum illum De fine hominis, ita scribis: Multa Patribus, qui libri censors fuerant, non exhibitæ infererat furtim, quibus & doctrinam variabat suam, & famam vellicabat Toleti, atque Suaeſi, præstantium de Societate Theologorum. Molina ubi adversabatur (consentebat enim in plurimis) vix unquam deerat solis quidpiam, & amavis. In eodem opere, ob doctrinam suæ contrariam, virum doctum reprehensum a Sixto V., scripsit. Ob has falsitates veterat cum Claudius Aquarivus Generalis, illum librum scribere, aut quem sub prelo haberet, edere, dum se purgare de clam inseris. Quid tu itaque Typographicos lapsus obtendis modo, nobisque Sixtum hujus nominis IV. non V. ab Henriqueſio scriptum essuris? Aut quid, rogo te, Societatis Præpositum commovisset Henriqueſius, si Rivium a Sixto IV. non Lessium a Sixto V. durius exceptum observasset?

Quapropter Lessium tuum, non satis gemino illo responso in tuto positum, tandem agnosces, in Henriqueſium vertis iras, quem vel falli, vel imponere Lessio, dicis. At falleris tu verius, atque imponis. Falleris, inquam, qui non alio meliori momento falsum Henriqueſium obtendis, quam quia Sixtum V. Lessio adfuisse, ejusque dogmata, a Lovaniensibus proscripta, sane doctrinæ articulos pronunciasse, pro certo ponis; cuius tamen positionis vanitatem deteximus Lib. 1. cap. 6. Imponis vero, qui, nullo producto momento, sed sola, quæcumque in mente veniunt, dicendi, scribendique licentia, hanc de Lessio fabulam, ex Banneſio Dominicano hautam ab Henriqueſio, significas: quasi ab externis domestica nosse debuerit Vir non exigui apud suos nominis, atque doctrinæ. Neque movet, quod, supposito Lovaniensi diffidio, eandem Lessius doctrinam perrexit tradere; ipseque etiam Nuncius Apostolicus, orta subinde Duaci de iisdem dogmatibus controversia, docendi libertatem, meditato Decreto, Sociis fecerit, donec per Sedem Apostolicam quæstiones, de hujusmodi materis exorte, desinuerunt, ac terminarentur. Hinc quippe ut ut maxime colligere potes, reprehensionem Lessio minime factam ex tribunali, atque ex juris formulis lata sententia: quod certe ab Henriqueſii mente procul abest; etsi privatim, ac sine juris actione, facta fuerit.

CAPUT VI.

De intacta, atque illæsa per Breve Apostolicum, & Octavi Decretum, Belgicarum Censurarum Auctoritate.

Potuisse Censuras Belgicas gemino sensu pro scribi, haud ita imprudenter observas: primo, ut re ipsa Censuræ sunt, Lessique doctrinam peculiaribus notis inurunt; secundo, ut sunt Theologica tractationes, oppositam Consensum ipsorum doctrinam continentes. Non esse Censuras, hoc secundo sensu acceptas, a Sixto V., ejusve Nuncio proscriptas, ultro, ac libenter admittis: etsi tui sæpius immemor, doctrinam iis contentam, cum Bajanis, ac Jansenianis erroribus promiscue confundas. Verum fuisse illas primo sensu proscriptas, atque suppressas, utque adeo certum putas, ut qua ratione verisimili negari a quoquam possit, plane nescis.

Atqui id ego perfractæ nego, nec verisimilitantum, sed & invicta ratione. Quorsum enim

(1) In Justific. Censuræ. (2) Sect. 1. Cap. 2.

(1) Sect. 3. Cap. 3. (2) Pag. 46.

proscriptas Censuras existimas, quo capite Censuræ sunt, Lessius doctrinam peculiaribus notis afficiunt? Nimirum, inquis, quia articulos, in controversiam adducidos, Censura notari, vetat Oclavio lato Decreto. At certis, iniquisque momentis duo ista constant: Primo, privatis duntaxat viris, in alterutrius partis studia venientibus, id verum ab Oclavio, fovendæ interim pacis animo, donec res tota Pontificio iudicio finiretur, non ipsi totius Academiæ confessui, cui (donec decretoria, ac definitiva Apostolica Sedis sententia prodeat) ferendi, ut vocant, doctrinalis iudicii facultatem jura tribuunt. 2. Id verum in futurum, nulla editarum hæcenus lubebrationum proscriptioe facta, rebusque duntaxat in posterum constitutis, Utrumque & Decreti verbis, & secutis inde factis, adeo liquet aperte, ut mirari mihi subeat, id a quoquam posse in controversiam revocari. Accipe Decreti verba, non illa quidem, uti recitas, dimidiata, ac mutilata, quo facilis illudas, sed continuata profus, & integra. „Cum acceperimus, aliquos etiam diversorum Ordinum Regulares, Clericosque seculares, ac potissimum, Studiosos, de Assertionibus, de quibus controversia est, inter dictæ Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, sacram Theologiam profitentes, tam pertinaciter pro alterutra parte contendere, & temeritate quadam in suis concionibus, lectionibus, disputationibus, scriptisque privatis, alterius partis sententiam dampnare, quam S. Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Magistra, salutari discipline doctrix, non damnavit; & quos tumultuantes, atque dissidentes componere, sedareque, fatius foret, eos indifferetæ devotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu, studio parium, ad tumultus, similitateque concitare: Prædictorum omnium, & singulorum temeritati, populorumque scandalo occurrere studentes, præsentibus his nostri Edicti Litteris statuimus, & ordinamus, ut nemo, cuiusque Ordinis, gradus, & conditionis, vel dignitatis existat, in concionibus, lectionibus, disputationibus publicis, & privatis, aut ubicumque promiscua virorum, ac mulierum multitudine convenire solet, de his assertionibus, controversiis in alterutram partem, ita disputare, vel doctorum auctoritate unius partis assertiones confirmare, alteriusque refellere, aut impugnare, vel cuiusvis pietatis, aut necessitatis pretextu, de his loqui, scribere, vel dicere in posterum attemptet, ut ausu temerario eas hæreticas, suspectas, offensivas, & periculosas esse; & qui eas asserunt, alicujus hæresis labe, aut suspitione contaminatum iri, donec auctoritate Apostolica mature definitæ fuerint, affirmare præsumat, &c.

En factam privatis, ut vides, & quidem in posterum, inhibitionem, non itidem Academiæ. Sed & quæ gesta subinde sunt, rem totam extrinsecum dubitationis aleam ponunt. Decretum quippe suum Oclavio ediderat die 10. Julii 1588. & tamen mense proximo secuto, die nimirum Augusti 17. eodem illo permittente, & annuente, Censuræ, pridem editæ, defensionem adoravit Academia, (1) latas in Lessium notas multo, quam antea, luculentius confirmavit, novisque momentis communitiv, editamque defensionem Oclavio dedit in manus die 3. Septembris, ad Summum Pontificem transmittendam. Næ tu, quæso, Apostolicum Nuncium, truncum nobis, & stipitem dabis, qui quam superiori mense Aca-

(1) Lib. 1. Cap. 4. (2) Lib. 1. Cap. 7.

demis venisset, demonstratque notandæ Lessianæ doctrinæ libertatem, hanc illi tam brevi intervallo integram faceret, novaque Lessio notas inuas expansionis ulnis exciperet, Romanque transmitteret? Non enim doctrinæ duntaxat suæ defensionem porrecto scripto complexi fuerant Lovanienses; sed notas ipsas, quibus Lessianæ propositiones primum inusserant, ubique passim, ac in ipsa maxime Peroratione redintegrarunt. Ex quibus, inquit, intelligi queat, quam non injuria videri poterint notata eorum dogmata, esse non solum nova, & peregrina, sed offensiva, & periculosa.

Stant ergo, velis, nolis, intactæ, atque illasæ Censuræ Belgicæ, qua parte quoque Censuræ sunt; non illæ utique definitivæ, ac decretoriæ, quales duntaxat Romanorum Pontificum, Conciliorumque auctoritate feruntur; ac doctrinales, ut vocant, atque Theologicæ, quales ab Academicis ferri possunt. Nec aliud tui illos, quos objicis, Duaceni Theologi sibi volunt, dum relictam Oclavii Edicti Societatis Jesu Professoribus sua sentiendi, docendique libertatem agnoscunt, Censuram in Gerium lata anno 1690. die 21. Januarii: sed id unum his verbis innuunt; Censuram Academicarum iudicia, qualia in Lessium lata fuerant (nisi Ecclesiæ accesserit definitio) docendi facultatem Professoribus non adimere, qui iisdem Academicis peculiari sacramento obstricti non sunt, quales Duaci Societatis Theologi censentur. Ecqui, quæso, Censuram suam (ex quo Jesuitis sua sentiendi, docendique libertas ab Oclavio facta dicitur) proscriptam, ut fingis, improbatamque fiantur Theologi Duaceni; cum eam nunquam proscriptam, aut improbatam verbis proxime sequentibus, sed a te pessima fide recitassis, diserte pronunciant? (2) *Declaravit insuper eadem Facultas, quod sicut Auctoritates suos fecerit, a damnatis erroribus Baii, & Jansenii immanis hæreticus fuit; ita Majorum suorum vestigia insistent, perseveret in antiqua de Scientia Dei, de Prædestinatione, & Efficacia Gratia doctrina, que in libro, cui titulus est: Censura Duacensis, a Sede Apostolica nunquam proscripta, aut improbat, continetur.*

Parum erat, Belgicæ Censuræ Nuncii Decreto proscriptas fingere: has etiam Brevis Pontificii notas, atque confixas, pari auctoritate fabularis; quod in eo ortæ Lovaniæ Controversiæ dicantur in quibusdam sane doctrinæ articulis. Quem sensum ea Brevis Pontificii verba ferant, plus satis ostendimus Lib. 1. cap. 6. Primum quidem, non ipsa partis alterutrius doctrinæ capita his vocibus designari, diximus, sed nudum agitæ Controversiæ argumentum; quod de *sane*, seu *sacre doctrinæ* capitibus questio moveretur. Secundo, si quis partis alterutrius assertiones eo verbo notari, pertinaciter velit; nihil attemen causæ esse, cur Lessii potius, quam Academiæ dogmata signari, dicantur; cum ne verbo quidem insinuet Pontifex, quæ pars sanam istam doctrinam profiteretur. Tertio, repugnare omnino Brevis Pontificii instituto, ceterisque inde secutis Decretis, ac factis, ut alterius dissidentium partis assertiones eo verbo probari, intelligantur. Ita nos loco laudato, ac fute satis. Nunc quartum adiciam, quo vel uno acris illa de vocum illarum intelligentia digladiatio, cassa profus, ac facillimis abie: ea felicitate quæ Brevis Pontificio verba intexta sunt, super quibusdam sane doctrinæ articulis, non ab ipso Pontifice ex propria sententia poni, quasi ipsemet sane doctrinæ articulos diceret Lovaniæ controversios; sed ab eo recitari duntaxat, atque narrari,

rari, tanquam privatis Nuncii Epistolis inserta, quibus Sanctitatem suam primos Lovanii turbines, quo tempore Coloniz degeret, commouerat. Res patet ipsa per sese. Ita quippe Pontifex: „Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex fraternitatis tuæ Litteris, ad nos proxime allatis, Controversias inter Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, in quibusdam sane doctrinæ articulis ortas fuisse, cognovimus. Quod idem multo luculentius adstruit Nuncius Apostolicus, dato subinde Decreto, quo, quid alias, Coloniz degens, ad Sixtum scripserit, simpliciter narrat. „Cum igitur Coloniz commouentes, quasdam opinionum dissensiones ortas esse, cognoverimus, inter Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, Lovanii Theologiam profitentes, super quibusdam sane doctrinæ articulis, quibus fidelium unitas scindi, ac Christi Corpus lacerari posset, nisi mature, sapienterque accurratur; eos nos S. D. N. Sixto Papæ V. sanctæque Sedi Apostolicæ significavimus, ut tam periculoso diffidio obviam iretur. Hæc itaque datis ad Sixtum Epistolis Oclavio inferuerat, *Controversias in quibusdam sane doctrinæ articulis ortas esse, unde subinde, ex mera narrandi ratione, Brevis Pontificii inserta sunt. Jam quæ ex mera narrandi ratione, Brevis Pontificii, aliisque decretis inferuntur, velut ab aliis scripta, ac denunciata, illorum duntaxat auctoritate, ac fide pollent, quorum nomine recitantur; cum ipsi etiam Pontificibus nebulones falsis interdu narrationibus obrepant. Quid ergo juvat scrupulosus disputare, quid privatis Epistolis obiter inferuerit Nuncius Pontificius, quo tempore Coloniz degens primos Lovaniensis diffidii rumores inaudit, nihilque per sese, sed ex aliorum duntaxat, ac forte Jesuitarum ipsorum narrationibus internoverat? live itaque ortas Lovanii Controversias, scripserit, super quibusdam sane doctrinæ articulis, ut aliqui opinantur; live sane doctrinæ articulos, ex præoccupato iudicio, aut ex aliorum narratione vocitarit, minimum refert.*

Ea brevi animadversione, cavillationes tuas omnes tamen retusas vides; easdem tamen, ad juris abundantiam, minuatim expedit.

Nomine igitur Articulorum sane doctrinæ, in quibus ortas Lovanii controversias, dixit Pontifex, Lessii assertiones necessario intelligi vis; tum quod de his tota lis esset, non de Academiæ contrariis opinionibus; tum quod illos Lessii articulos, Romam missos, iusserit Pontifex, coram se, & Cardinalibus in Consistorio prælegi, idemque se sentire, dixerit; tum demum quod nullas tunc Lovanientium propositiones vidisset Pontifex, ad quem nonnisi multo post tempore Censuram, ejusque defensionem Nuncius misit. At longe a vero abeunt tria hæc: Primum enim, qua facilitate dicitur, ea quoque negatur; Controversia quippe orta perinde dici potest super Lovanientium doctrinam, quam primo temere Lessius suis prælectionibus, veluti Calvinio proximam, suggillabat, ac super Jesuitarum assertionibus, quas, uti Semipelagianas, Academia confixit. Quod ex Lessii schediastate, (1) jam tum, ineunte Februario, ad Archiepiscopum Mechliniensem transmissum, perspicuum fit. Alterum fabula est omnium vanissima, a Lessio ipso confixa, & a me Cap. 4. N. 7. consutata. Ultimam (quidquid rei veritas habeat) falsi arguit Lessius idem, qui datis die 13. Decembris anni 1687. ad Colterium Epistolis, quarto nimirum mense ante Breve Ponti-

ficiam, hæc inter alia significabat: *Illorum Censura cum nostra responsione (a nobis) missa est Romam, & inde expectatur responsio.* (2) Quoposito, nil dubitandum, quin Lovanientium Propositiones diu ante vidisset Pontifex, quam Censuram, ejusque defensionem, Nuncius transmississet.

Futiliora longe multo, quæ ad alteram Brevis Pontificii interpretationem elevandam opponis, qua nudum agitæ controversiæ argumentum his verbis signari, dixeram, in quibusdam sane doctrinæ articulis; non ipsa alterutrius partis doctrinæ capita. Nusquam a te lectum Balduni Rythovii Apologeticum, necesse est, qui hanc a me primum excogitam explicationem obtendis, repugnantibus, ut loqueris, quotquot sunt viri Theologi in orbem terrarum. Hanc quippe jam ab anno 1589. usurpatam, legisse, ad occupandas Deckerii cavillationes. Non dubium, inquit ille, Nuncium Apostolicum intelligere voluisse sanam doctrinam in genere, & generalia ejus capita de Scriptura, de Gratia, de Prædestinatione: quasi si dixisset: Super quibusdam capitibus salutaris, seu Christianæ doctrinæ, controversiam fuisse exortam. Eandem interpretationem Lemosius dedit in solemnibus Congressibus die 22. Martii 1604. dum ita Baptistam, ea ipsa Brevis Pontificii verba objicentem, excepit: *Non ait, propositiones vestras fuisse sane fidei, sed controversias super rebus sane fidei.* Neque tamen consequens inde est, ut ea interpretandi libertate damnata quoque Lutheri, & Calvinii propositiones sane doctrinæ articuli dici possent. Nec enim Sixtum V. Lessii propositiones sane doctrinæ articulos dixisse, concedimus: sed id unum ad summum consecrarium esse potest, ut quo jure, Controversias inter Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, in quibusdam sane doctrinæ articulis ortas dixit ille, designato nimirum Controversiarum argumento; ita non profus incongrue dici queat, ortas Catholicos inter, & Lutheranos in quibusdam sane doctrinæ articulis controversias; indignitatem nimirum polemizarum controversiarum materia; fana, inquam, doctrinam, quam & Lutherani corrumpent, & Catholici reuerentur.

Non ibo quidem inficias, hoc Rythovii, & Lemosii interpretamentum, (cui nec ego unice steti, sed illud una cum aliis insinuavi) iis minus probari Theologis, qui alios exponendi modos, ut hanc difficultatem eliderent, inferre. Verum quid tu mihi illorum suffragia objicis: cum, in hac varia interpretandi Brevis Pontificii ratione, in id colliment univeri, ut Lessii doctrinam a Sixto minime probatam, ostendant? Seu enim nullius distincte partis dogmata iis vocibus signari, dicant; tamque ad Academiæ quam ad Lessii Propositiones transferri posse, demonstrent: seu mendum scribarum incuria irrepsisse velint; legendumque, ut sensus congruat: in quibusdam sane doctrinæ articulis: seu demum ex mera narrandi ratione, (quod ita datis Sixto Litteris scripserit Nuncius) ea verba Brevis Pontificii inserta, probeat; tuus ex æquo Lessius causa cadit, statque illasæ, & integra Belgicarum Censurarum Auctoritas.

(1) Cap. 4. N. 6. (2) Eleuther. lib. 1. cap. 8.